

Simon Toelmann    Heinrich Dieterich

## **Disputatio Iuridica De Restitutionibus In Integrum**

Rostochii: Pedanus, 1627

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731524500>**

Druck    Freier  Zugang



Wiedergutmadlungen

S. Toelemann (H. Dietrich) /a  
R U. in 1627.



55. 34  
49.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE RESTITUTIONIBUS IN INTEGRUM,

*Quam*

D. T. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Amplifs. Excellentifs. & Clarissimi Viri,

DN. SIMONIS TOELMANNI,  
Jcti Eximij, & in florentifs. Megapolensium Academia  
Professoris Ordinarij celeberrimi, Præceptoris  
ac fautoris sui æternum colendi,

*Publica disquisitioni subjiciet*

HENRICUS *Dieterichs*  
Hannoveranus.

*Ad diem 24 Mens. Novemb.*

In Auditorio Majori,  
*horis matutinis.*



ROSTOCHII

Expressa typis à JOACHIMO PEDANO,  
Anno M. DC. XXVII.

1627

DISPUTATIO JURIDICA  
DE RESTITUTIONE  
LIBRARIUM IN TEGRUM

D. T. O. M. A.

ZUR UNIVERSITÄT

DR. SIMONIS TOELMANNI

PHYSICUS & IN BOTANICIS, MEGAPOLITANUM ACADEMIAE

PROFESSORIS ORDINARIJ, CATHEDRAE PRAECEPTORIS

SENIORIS, LIBRARIUM



HENRICHUS TOELMANNUS

AD CLASSEM PHISICORUM

IN AULONIO MAJORE

PHYSICORUM



ROSTOCKII

EXPRESSIS LITTERIS S. JOSEPHINI PAVLARI

ANNO M. DC. XXVII



THESIS I.



Vanta cum utilitate, tam privato-  
rum, quam Reipubl. Restitutiones in inte-  
grum à Prætoribus introductæ sint, Ulpianus in l. i. ff. de in int. rest. his verbis indicare  
voluit, cum ait: Utilitas hujus tituli non  
 eget commendatione: ipsa enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam Prætor hominibus vel  
 lapsis, vel circumscriptis subvenit, sive metu, sive calliditate,  
 sive ætate, sive absentia, inciderint in captionem.

I I. Apparet ex his verbis, Prætores hoc beneficio non  
 specialiter uni alicui personæ vel negotio prospicere, sed in  
 universum omnibus, contra læsionem patrimonij & bono-  
 rum, ratione & æquitate distantibus, succurrere voluisse.

I I I. Etenim cum perspicierent Prætores, quam frau-  
 dulentis technis, & variis dolis homines uti soleant, dum ali-  
 orum bonis insidiantur, eaq; ad se transferre student; merito  
 illorum calliditati occurrendum putaverunt, & propterea  
 beneficium Restitutionis contra Juris Civilis rigorem indu-  
 xère; ne quis, vel alterius dolo, vel simplicitate sua, vel alio  
 iniquo & injusto modo, domino rei suæ defraudaretur.

I V. Ex quibus cum nemini obscurum esse possit, quam  
 necessaria & utilis sit hujus materiæ cognitio & consideratio:  
 non abs re facturos nos confidimus, si de hac materia impræ-  
 sentiarum aliquid agamus, eaq; quæ Dd. hic fusè tradunt,  
 quasi in compendium redacta, ventilanda & examinanda  
 proponamus.

V. Exordimur autem merito ab Etymologia verbi Re-  
 stituere, quod à particulâ Re & verbo Statuere compositum  
 videtur: Idemq; est, quod Reddere, seu in pristinum statum  
 reponere l. præterea 20. ff. de Rei vind. l. restituere 75. ff. de V. S.

Etymon  
 Restituti-  
 onis.

**Restitutio**  
**quid?**

**Quota.**  
**plex.**

**Restitutio**  
**Gratia.**

**Restitutio**  
**Justicia.**

**Ea duplex**  
**Civilis vel**  
**Prætoria.**

**Definitio**  
**Restituti-**  
**onis Præ-**  
**toria.**

**Genus.**

**Differetia**  
**Specifica.**

Unde Restitutio in integrum nihil aliud denotabit, quàm repositionem in pristinum statum.

V I. Eam Dd. in duo genera dispeſcunt: Aliam enim vocant Restitutionem Gratia, Aliam Restitutionem Justicia. *Vid. Oddus q. 1. art. 15.*

V II. Restitutio Gratia est, quã damnati, ex indulgentiã Principis in integrum restituuntur, & pristinum honorem, famam, & bona sua recuperant *l. 1. C. de sentent. pass. in cujus petitione, pro causã petitionis, nihil aliud adducitur, quàm clementia & pietas ipsius principis. Odd. d. l. Wesebec. parat. ff. de sent. pass. Azo in summ. C. eod. tit.*

V III. Restitutio Justicia est, quã ob læsionem bonorum, justitiã & æquitate dictantibus, tribuitur: in cujus petitione, pro causã petitionis, adducitur æquitas. *Odd. d. l.*

X. Hęc rursus duplex est: Civilis, vel Prætoria. Civilis, quã ex constitutionibus principum descendit, de quã in *l. Divus 33. ff. de re jud. l. admonendi 31. ff. de jur. jur. l. qui agnitis u. ff. de except.* Prætoria, quã à Prætoře introducta est. *Odd. d. q. 1. art. 15.*

X. De Restitutione Gratia, ut & de Restitutione Justicia: Civili hęc acturi non sumus, sed tantum de Restitutione Justicia Prætoria: quam cum Wesebec. *parat. ff. de in int. restit. definimus, quod sit Remedium extraordinarium, quo Prætor deceptos aut læsos, in eam causam, in qua ante deceptionem aut læsionem erant, ex justã causã reponit ac reducit.*

XI. Dixi, & loco Generis in definitione posui, quod Restitutio sit Remedium extraordinarium. Quamvis enim, ided, quia non simpliciter contra Jus Civile est (est enim Prætorum edictis inventum, quã partem juris Civilis constituent) quodammodo Ordinarium dici possit: tamen eo respectu Extraordinarium est, & dicitur, quod rescindit ea, quã merq; & Summo jure valent: atq; ita contra merum & Summum jus Civile datur. *Joan. Mauric. tract. de Restit. in integ. c. 2. n. 6. 7. & 8.*

XII. Adjeci in Definitione, quo Prætor deceptos aut læsos,

*fos, &c.* Primò ut discernere hanc Prætoriam Restitutio-  
nem Extraordinariam à Restitutione Gratiæ, quæ quidem  
etiam auxilium Extraordinarium est, sed à solo Principe tri-  
buitur, ut dictum supra thes. 7. Itemq; à Restitutione Justi-  
ciæ Civili, quæ ex Constitutionibus principum descendit, &  
quatenus rescindit ea, quæ summo jure valent, ut ex allega-  
tis sup. thes. 9. patet, non absurdè Extraordinarium Reme-  
dium dici potest.

XIII. Deinde, ut ostenderem, A quo fiereret hæc Re-  
stitutio, nempe à Prætores; vel, jure novissimo, ab alio ordi-  
nario magistratu, proprium tribunal & jurisdictionem cum  
administratione habente *l. i. ff. b. t. l. ult. C. ubi & ap. quem.*  
vel ab illo, qui ad hoc vel in specie, vel ad universitatem cau-  
sæ, à magistratu superiore delegatus est. *d. l. ult.*

XIV. Unde apparet Magistratibus Municipalibus jus  
in integrum restituendi non fuisse. *l. ea quæ 26. ff. ad municip.*  
cum hi proprium tribunal non habuerint, nec celebri-  
ores jurisdictionis & imperij mixti actus exercere potuerint  
*l. i. in pr. ff. si quis jus dic. non obt. d. l. 26. ad municip. ad quam*  
*vid. nor. Godofr. Wesenbec. parat. C. de magistr. municip. n. 3. in*  
*quo vulgò errant Dd. quos recenset & sequitur Sf. Oddus q. 32.*  
*art. 4.*

XV. Quamvis enim ex *d. l. i. pr.* appareat, jurisdic-  
tionem quandam eos habuisse, limitata tamen ea fuit, ut notat  
*Godofr. in d. l. 26.* Perinde autem est, nullam, & in casu ex-  
empto limitatam habere jurisdictionem. *Baccov. ad Tr. vol. 1.*  
*Disp. n. thes. 1. lit. C.*

XVI. Consequens etiam his est, quod nec per Arbi-  
tros restitutio in integrum fieri, aut in eos de causâ restituti-  
onis compromitti possit *d. l. ult. C. ubi & apud quem.* Nec  
enim arbitri est, contractum jure Civili validum rescindere;  
nec ex sententiâ arbitri plenarius restitutionis effectus conse-  
qui potest. *Baccov. d. l.*

XVII. Limitandum tamen hoc ita videtur, ut arbi-  
ter super causa restitutionis cognoscere possit, si illa inciden-  
ter coram eo proponatur, & incidens hoc ipsi causæ princi-  
pali

*A quo fiat  
Restitutio.*

*Magistratus muni-  
cipales nō  
habuisse  
jus resti-  
tuendi in  
integrum.*

*Per Arbi-  
tros resti-  
tutionem  
fieri non  
possit.*



pali connexum sit; veluti, si compromittatur causa aliqua alicujus pacti vel conventionis inter & cum minore, & arbitro appareat, minorem læsum esse: quo casu cum arbiter super causâ principali rectè pronunciare non possit, nisi & de hoc incidenti cognoscat, etiam cognitio super causâ restitutionis ipsi concedenda videtur; ita tamen, ut cognitio ista quæstioni principali de restitutione, super quâ ab Arbitro non pronunciatur, nihil præjudicet. *arg. l. quoties. 3. C. de judic. l. 1. in fin. C. de ord. jud. Sf. Odd. q. 32. art. 8. ubi hoc communiter à Dd. teneri tradit, quibus & adspulatur Jus Canon. c. penult. de in-Int. Restitut.*

*Solū Prin-  
cipem ad-  
versus sen-  
tentiã pro-  
curatoris  
sui resti-  
tuere.*

XVIII. Illud etiam hoc loco notandum, quod solus Princeps contra sententiam Procuratorum suorum restituat. *l. 1. C. ubi & ap. quem.* Cum enim Procurator Cæsaris non agnoscat alium superiorem nisi Principem, & adversus sententiam paris vel superioris restitutionem nemo concedere possit. *l. minor 18 ff. de min.* necessariò sequitur, solum Principem contra sententiam Procuratoris sui restituere posse. *Vide Cujac. ad l. 16. ff. de minor.*

XIX. Accedit, quod Procurator Cæsaris non cognoscit inter privatos utrinque, sed tantum de causis fiscalibus, cum lis est inter fiscum & privatum; ut vel tantò magis, quia res fiscum Cæsaris concernit, solus etiam Cæsar contra sententiam Procuratoris restituere debeat. *Duar. ad tit. ff. de Rest. in int. c. 2. Baccov. d. disp. 11. rh. 1. lit. D.*

*Subje-  
ctum  
Restituti-  
onis.*

XX. Porro addidi in definitione, *quo Prætor deceptos aut læsos ex justa causa, &c.* Decepti enim & læsi hic subjectum Restitutionis constituunt, quippe quibus beneficium hoc à Prætore datur. De quo in seqq. latius videbimus.

XXI. Illa autem verba, *Ex justa causa,* denotant, tum causam impulsivam, quæ Prætorem ad hoc beneficium deceptis aut læsis tribuendum moveat; Causæ sc. æquitatem: tum quòd in omni restitutione in integrum causæ cognitio necessaria sit, & Prætor justitiam causarum examinare debeat, æquumne sit, propter eas læsum restituere, an restitutionem ei denegari. *l. 3. ff. b. t.*

22. Quæ

XXII. Quæ verba ultimo loco in definitione adduntur, *In eam causam, in qua ante deceptionem erant, reponit ac reducit*: Effectum restitutionis ostendunt, ut sc. omnia in pristinum statum restituantur, & tam læso, quam lædenti, omnia integra sint.

XXIII. Species Restitutionis Prætoriæ duæ sunt: Alia enim officio judicis nobili datur, ut restitutio ex Edicto de majoribus, & Edicto de minoribus. Alia jure actionis expeditur, ut Actio doli & Quod metus causa. *Odd. q. 1. a. 15.*

XXIV. Utraq; autem deceptis aut læsis, præcedente causa cognitione à Prætoribus tribuitur. Quæ causæ cognitio circa duo potissimum versatur, videl. Rei, de qua recipienda agitur, amissionem, & Amittendi causam.

XXV. Res amissa majoris momenti esse debet. nam propter minimam rem vel summam restitutio non conceditur. *l. scio 4. ff. b. t.* Cum enim remedium hoc Prætoris extraordinarium sit, ideo non facile debet concedi, si de re minima agatur. *Mauric. c. 124. Odd. q. 4. art. 12. § 13.*

XXVI. Ubi tamen distinguendum foras, An restitutio officio judicis nobili, An actionis, & quasi ordinario jure concedatur & expediatur. Nam in ordinariis etiam rem minimam curari, patet ex §. *gallinarum. Instit. de Rev. divis. l. si proprietarius 22. in fin. pr. ff. de damn. insect.* Neq; dubium est, quin Actio quod metus causâ etiam ad rem exiguam vi extortam concedatur, & Actio doli, eò quod famosa est, propter summam minimam dari non debeat. *l. si quis 9. in fin. cum ll. seqq. ff. de dol. mal. Baccov. ad Tr. vol. 1. disput. 11. thes. 2. lit. B.*

XXVII. Causa amittendi ea esse debet, quam, ut iniquam, æquitatis ratio improbet, h. e. talem judicet, propter quam indignum sit, quenquam re sua carere debere. *Donell. 21. somm. c. 5.*

XXVIII. Hujusmodi causæ non in omnibus eadem sunt, sed personis distinguuntur: Alia enim in majoribus 25. annis restitutioni locum faciunt, alia in minoribus.

XXIX. Quæ in majoribus Restitutionem in integrum admittit

Species Restitutionis Prætorie. Duo in danda restitutione considerantur.

Res amissa

Causa amittendi.

admittunt, eadem etiam minoribus Communes sunt. Quæ  
verò in personâ minorum, quâ talium, restitutioni locum  
faciunt, ex sua minorum Propriâ, & singulari jure conti-  
nentur. *Donell. d. l.*

*De causis  
ob quas tã  
majores,  
quàm mi-  
nores in  
integrum  
restituun-  
tur.*

*De Resti-  
tutione  
qua pro-  
pter metũ  
datur.*

*An etiam  
Vis ad hoc  
edictum  
pertineat.*

*Que vis  
restitutio-  
ni ex hoc  
edicto lo-  
cũ faciat.*

XXX. Causæ, quæ tam majoribus, quàm minoribus,  
beneficium restitutionis tribuunt, sunt hæ præcipuè: *Metus,  
Dolus malus, Justus error, Justum impedimentum, & Capitis  
deminutio.*

XXXI. METUS, in *l. metum 5. ff. quod met. caus.*  
dicitur Timor majoris malitatis: quo impellente, quodcun-  
que gestum fuerit, Prætor edicit, se ratum non habiturum.  
*l. 1. ff. quod met. caus.*

XXXII. Cum enim is, qui metu, ad aliquid dandum  
vel faciendum, impellitur, etiam consentiat: *l. si mulier 21. §.  
si metu 5. ff. h. t.* (Etenim non tantum eligit, ex duobus malis,  
quod minimum est, sed etiam principium movendi membra,  
quibus tanquam instrumentis in actionibus utimur, in ipso  
est: *Arist. 3. Eth. c. 1. text. 5. & 6. Hornei. doctrin. moral. libr. 3.  
c. 4. §. deinde & hoc.*) ideo contractus metu factus, jure Civili  
stricto, tanquam consensu initus, valet §. 1. *Inst. de except.* nec  
de eo antiquis legibus quidquam cautum erat. Verum cum  
Prætores viderent, valde iniquum esse, ut ea, quæ metus cau-  
sâ gesta erant, rata haberentur, ideo ei, qui per metum sibi  
illatum, damnum passus erat, Restitutionem in integrum  
edictis suis pollicebantur, *d. l. 1. h. t. vid. Wesenb. paratit. ff.  
quod met. caus. n. 1. Duar. ad eundem tit. c. 1.*

XXXIII. Illis autem edicti verbis, *Quod metus causâ  
gestum erit, ratum non habebol. 1. ff. h. t.* ea etiam comprehen-  
dit Prætor, quæ à nobis vi coactis gesta sunt. Olim enim  
ita dicebatur, Quod vi, metusve causa &c. sed postea detra-  
cta est vis mentio, ideo, quia quodcunq; vi atroci fit, id metu  
quoq; fieri videatur. *d. l. 1.*

XXXIV. Vis bifariam inferitur: At enim adimitur,  
quid invitis vel ignorantibus, in totum vel ex parte, quæ vis  
Ereptiva, Expulsiva, aut Turbativa dici solet: Aut à volen-  
tibus quid accipitur, sed prius vi compulsis, quam vim Com-  
pulsivam

pulsivam vocare possumus. Illa huc propriè non pertinet, & agitur de eà sub tit. ff. de Vi bõ. rapt. Unde vi, Uti possidetis &c. Posterior verò huic edicto locum facit. *Donell. 15. comm. c. 39. §. ex his intelligitur.*

XXXV. Igitur si quid ab aliquo consentiente gestum erit, sed prius vi compulsio, ea demum vis hoc edicto vindicatur, & contra illam restitutio conceditur. *Accurs. ad l. extat 13. ff. quod met. caus.*

XXXVI. Eam autem, ut edicto locus sit, atrocem, & contra bonos mores esse oportet, *cujus exempla proponuntur in l. 3. 4. 7. 8. & 9. ff. b. t.* Unde apparet, illam vim, quam magistratus jure licito, & jure honoris, quem sustinet, intulit, huc non pertinere *l. continet 3. d. t.*

XXXVII. Metus præsens esse debet, *l. metum 9. ff. b. t.* & talis, qui in hominem etiam constantissimum à formidine objectorum cadat: *l. 5. & 6. ff. b. t. l. 9. C. eod.* cùjus exempla reperiuntur in *l. nec timorem 7. & seq. ff. b. t. l. si donationis 7. C. eod. l. 13. C. de transact.* Vani enim timoris non est excusatio, *l. 184. de R. I. l. accusationis. 10. eod.*

XXXVIII. Multum tamen hac in re arbitrio judicis esse relinquendum videtur, qui ex personæ cujusq; qualitate, factiq; circumstantiis judicare debet, an metus talis sit, ut eū qui metum passus est, restitui æquum sit. Etiam si in abstracto verum sit, non nisi justissimum, quiq; in constantem virū cadat, metum huic edicto locum facere: nec alium, quoad intentionem fundandam & probationem faciendam, rectè allegari posse. *Wesembec. parat. ff. quod met. caus. n. 3. Garl. 1. de pace publ. c. 2. n. 5.*

XXXIX. Præterea de eo metu hoc edictum accipiendum est, qui factio privati inferri potest, Unde colligere licet, infamiae metum huic edicto locum non facere *l. nec timorem 7. ff. b. t.* Infamia enim non inferitur factio privati, sed vel auctoritate legis, vel judicis sententiâ irrogatur. *Baccov. ad Tr. 1. disp. 11. tb. 4. lit. A.*

XL. Metus etiam reverentialis in hoc Edictum non venit, nec propter eum Restitutio in integrum tribuitur.

B

*l. ad*

*Qualis metus requiratur, ut restitutio ex hoc edicto locum habeat.*

*l. ad invidiam 6. C. h. t. arg. l. si patre cogente. 22. ff. de rit. nupt.  
l. fidejussor 26. §. pater 1. ff. de pign. & hypoth.*

**XL I.** Dupliciter autem Praetor iis, qui metus causâ aliquid gesserunt, succurrit. 1. Rescissione ejus, quod metus causâ gestum est, & restitutione veteris juris: dando nimirum actionem Rescissoriam in rem, vel in personam, pro ut rei qualitas postulat. Qua actione, rescissâ v. c. alienatione, vel acceptilatione, res nostra, vel debitum, tanquam si alienatio illa, vel acceptilatio facta non esset, repetitur *l. metum 9. §. volenti 4. ff. b. t.*

*De Actio  
ne Quod  
metus  
causâ.*

**XL II.** Secundo per actionem Quod metus causa, quâ petitur, ut id quod per metum ablatum est, arbitrio judicis ex æquo & bono restituatur, cum omni accessione & causâ: & nisi arbitrio judicis restitutio fiat, reus in quadruplum condemnatur, *l. metum 9. §. ex hoc edicto 7. l. sed & partus 12. l. item si 14. §. 1. ff. b. t. §. præterea Inst. de Act. vel quanti Actor in litem juraverit. l. 68. ff. de Rei vind.*

*Eâ esse Ar  
bitrariam.*

**XL III.** Petet ex jam dictis, actionem hanc esse Arbitrariam. Permittitur enim judici, ex bono & æquo, secundum cujusq; rei, de quâ actum est naturam arbitrari, quemadmodum actori satisfieri oporteat, d. §. præterea Inst. de Act. Et reus habet licentiam, usq; ad sententiam ab arbitrio datam, restitutionem rei facere: quod si non fecerit, jure meritoq; quadrupli condemnationem patietur. *l. item si 14. §. hæc autem 4. ff. b. t.*

**XL IV.** Arbitrium hoc judicis non sententia Definitiva, sed Interlocutoria est. Imò tentari posset, ne tale quidem speciale arbitrium præcisè necessarium fuisse in hoc judicio. Neq; enim illud Edictum, aut ejus Interpp. Jcti magno opere exigunt: sed hoc tantummodo velle videntur, ut habeat reus facultatem offerendi restitutionem usq; ad sententiam, Ut ita admonitionem quidem aliquam de restituendo præcedere potuisse, facultas verò restituendi, usque ad Sententiam Definitivam, ex ipsâ natura & formulâ actionis, reo competuisse videatur: ut monent *Wesenbec. parat. ff.*

*quod*

quod met. caus. n. 6. Baccov ad Tr. vol. 1. diff. 11. tb. 5. lit. E. Fa  
cisl. 14. §. 1. b. t.

XLV. Ex quibus consequitur, proculdubio errare  
eos, qui duplicem hic petitionem, duplicemq; libellum, &  
Sententiam Definitivam duplicem requirunt. Vide Gloss in l.  
item 14. §. hec autem. 4. ff. b. t. & in l. 4. C. eod.

XLVI. Hæc actio, quemvis origine Personalis sit,  
quia ex delicto nascitur: cum tamen non modo contra eos  
detur, qui metum intulerunt, l. 9. §. animadvertendum 1. l.  
item si 14. §. fin. ff. b. t. sed adversus omnes omnino, qui lu-  
crum inde perceperunt d. l. 9. §. fin. adeo, ut non quaeratur,  
utrum is qui convenitur, an alius metum fecerit: d. l. 14. §.  
in hac 3. ff. b. t. ideo rectè In rem scripta appellatur d. l. 9. §.  
fin. b. t. Bart. in l. sed & ex dolo 15. §. ult. ff. de dol. mal. Duar.  
ad b. t. c. 2. Wesenh. hic n. 4.

XLVII. Datur hæc actio illis, quibus per metum ali-  
quid ablatum est: Illis autem, quibus nihil abest, non datur,  
propter naturam Metus causâ actionis, quæ damnum exigit,  
& rem nobis ablatam persequitur l. 14. in pr. l. sed & 12. §. ult.  
ff. b. t. Itaq; & heredibus, cæterisq; successoribus competit,  
etiam in Quadruplum d. l. 14. §. 2. in fin. l. quod diximus 16. §.  
hec actio 2. ff. b. t. & fidejussoribus etiam prodest l. 7. ff. de  
exception. §. 1.

XLVIII. At in heredem & cæteros in id competit,  
quod ad eos pervenit: licet enim pœna ad heredem non  
transeat, attamen quod turpiter, vel scelere questum est, ad  
compendium heredis non debet pertinere d. l. 16. §. fin. b. t.

XLIX. Quadruplum, in quod in hac actione is, qui  
arbitrio judicis rem non restituit, condemnatur, non to-  
tum pœna est, sed in eo quadruplo inest & rei persecutio ut  
pœna tripli sit l. 14. §. quatenus 10. ff. b. t. Quadruplabitur  
autem omne, quodcumq; restitui oportet, id est, cum fructi-  
bus & omni causâ l. item 14. §. 1. & §. quadruplabitur 7. & §.  
Julianus 14. l. si mulier 21. §. 12. ff. b. t.

L. Sed quadrupli condemnatio tum demum locum  
habet cum intra annum agitur, d. l. 14. §. 1. in fin. Nam  
omnes

Act. Quod  
met. caus.  
esse perso-  
nalem in  
re scripta.

Quibus  
detur.

An contra  
heredes  
detur.

omnes Prætoria pœnales actiones anno finire solent *l. in bonorum 35. ff. de O. & A.* Post annum verò causâ cognitâ in simplicium Prætor actionem pollicetur: *d. l. 14. §. 1.* quæ perpetua est *l. videamus 17. l. quod autem 19. ff. b. t.* & exemplo reliquarum ad 30. annos datur *l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann.*

De Actione Doli mali.

L I. Altera causa, ob quam tam majores, quam minores in integrum restituantur, est D O L U S M A L U S quem Labeo in *l. 1. §. 2. ff. de dol. mal.* definit esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibitam.

L II. De eo Prætor ita edicit: *Qua dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur judicium dabo d. l. 1. §. 1. ff. de dol.*

L III. Quo edicto illis, qui fraude & calliditate aliorum circumventi aut læsi sunt, subvenit Prætor, dando Actionem de Dolo Malo, adversus illum, cujus dolo quis læsus est; quâ petitur, ut, nisi reus arbitrio judicis rem restituat, condemnetur quanti ea res erit. *l. arbitrio 18. in pr. ff. b. t.* Condemnatus autem infamiâ notatur *l. 1. verb. Doli ff. de his qui not. infam.*

Tria Re-  
quisita in  
Actione  
Doli.

L IV. Tria autem præcipuè requiruntur, ut huic actioni locus sit: 1. Ut quid factum sit Dolo malo, quo alij detrahatur. 2. Ut de eo alia actio non sit. 3. Ut nihil interveniat, quod justè hanc actionem excludat. *l. 1. §. 1. ff. de dolo malo.*

Primum.

L V. Primum requisitum esse diximus, ut quid factum sit dolo malo, quo alij detrahatur *d. l. 1. §. 1.* Omnis enim, qui hac actione uti vult, dicere & probare debet, Dolo malo quid factum esse: *l. quoties 18. §. qui dolo 1. ff. de probat. & id quidem ex perspicuis indiciis l. dolum 6. C. cod.* Nec præsumptioni hic locus est, cum ea effectum suum, qui est, translatio oneris probandi in adversarium, hic assequi nequeat *Donell. 15. com. c. 41. Baccov. ad Tr. vol. 1. tb. 6. lit. F.*

Secundum.

L VI. Alterum, quod in hac actione requiritur, est, ut, de eo, quod dolo malo factum esse dicetur, alia actio non sit. Merito enim Prætor ita demum hanc actionem pollicetur, si alia

si alia actio non sit: quoniam famosa actio, (qualis hæc est) non temerè debuit à Pratore decerni, si sit Civilis, vel honoraria, quâ possit experiri *d. l. 1. §. ait Prator 4. & l. ideòq; 5. ff. b. r. l. 2. C. cod.* Idemq; est, si vel interdictum sit, quo quis experiri, vel exceptio quâ se tueri, vel beneficio Restitutionis in integrum ex aliâ causâ, suum consequi possit. *d. l. 1. §. 4. §. & 6. l. Eleganter 7. in pr. ff. b. r.*

L VII. Ita tamen hoc verum est, si certum sit nullam aliam actionem competere, aut actio illa, quæ competit, non sit æquè famosa atq; hæc. Nam si probabiliter dubitetur, an alia actio competere possit, de dolo actio dabitur, *secundum sententiam Labeonis l. Eleganter 7. §. non solum 3. ff. b. r.* Idemque est, si actio illa quæ concurret, sit æquè famosa atq; actio de dolo: quo casu actoris est electio, utrâ agere velit *l. 1. C. de dol. mal. junctâ l. 59. §. 1. mandat. l. 13. §. 3. ff. de dol. junctâ l. 52. §. majori 22. ff. de furt.* Cessat enim hic ratio prohibiti concursus ab Ulpiano traditâ in *l. 1. §. ait Prator 4. ff. b. r. Baccov. ad vol. 1. Tr. disp. 11. ab. 6. lit. E.*

L VIII. Actio Quod metus causâ, etiam à supradictâ regulâ excipienda videtur. Illam enim cum actione de Dolo concurrere, traditur in *l. item si 14. §. cum qui 13. ff. quod met. caus.* Cujus rei Bart. ad *d. l. 14. §. 13.* hanc reddit rationem, quod Actio de dolo non concurrat quidem cum pari actione, sed benè cum majori, vel minori. Quod ita intelligendum putamus: ut actio de Dolo non concurrat cum alia actione, ex quâ actor idem, quod ex hac consequi possit; benè autem concurrat cum illâ, ex quâ plns, vel minus actor consequatur: quemadmodum & in hoc casu contingit. Nam actio quod metus causâ in quadruplum competit: De dolo autem actio in id quod interest datur.

L IX. Occurrit hic quæstio difficillima, quam de apicibus juris esse, Cynus dixit in *l. cum proponas C. de dol. mal.* An sc. actio doli, cum actione Præscriptis verbis ex articulo facio ut des, concurrat? Negat enim hoc *l. 5. §. quod si 3. ff. de prescr. verb.* Affirmare autem videtur *l. solent 15. ff. eod.*

An actio  
doli con-  
currat cū  
Act. presc.  
verbis ex  
artic. Fa-  
cio ut des.



LX. Nos relictis aliorum opinionibus, cum *Comiso 2. miscell. 10.* statuimus, quod non concurret: sed quod ex contractu Facio ut des, quemadmodum ex reliquis tribus contractibus innominatis detur præscriptis verbis actio, si nullus dolus interveniat; veluti, si is, qui dare debet, difficultate aliquâ impediretur, quo minus dare possit. Cum enim hoc casu actio de dolo dari nequeat, quia nihil dolo factum est, dabitur, quod æquissimum, præscriptis verbis actio *d. l. 15. ff. de præscr. verb.* Sin verò dolus arguatur, detur tantum actio de dolo *d. l. 5. §. 3. juncto §. precedente l. solent. 15. in fin. d. t. Diff. Jason. in l. 5. §. 3. de præscr. verb. Bart. ibid. & in l. solent 15. ff. eod. Cujac in d. l. 5. §. 3. de præscr. verb. Donell. 15. comm. c. 41. Baccov. ad Tr. vol. 1. disp. 30. sb. 10.*

Tertium re-  
quisitum.

LXI. Tertium requisitum in actione Doli est, ut nihil interveniat, quod justè hanc actionem excludat: Neque enim tam gravis actio passim est indulgenda *l. si quis 9. §. fin. ff. h. r.*

LXII. Duo autem præcipuè hanc actionem excludunt. Primò, Rei vel summæ, cùjus nomine actio instituenda est, quantitas, si ea non sit tanta, ut propter illam hæc actio indulgeri debeat. Nam ecce, si modica summa sit, veluti usque ad duos aures, non debet dari *d. l. 9. in fin. l. 10. §. II. h. r.*

LXIII. Deinde Personarum qualitas. Quibusdam enim personis, utputa liberis, vel libertis, adversus parentes, patronosve, hæc actio, cum sit famosa, non dabitur. Sed nec humili adversus eum, qui dignitate excellit, debet dari: puta plebejo adversus consularem receptæ autoritatis: vel luxurioso atq; prodigo, aut aliàs vili adversus hominem vitæ emendationis. In horum itaq; personâ, in factum verbis temperandam de dolo actionem, monet Jctus, ut bona fidei mentio fiat: ne ex dolo lucrètur. *l. non debet 11. §. 1. §. 1. ff. h. r. quibus tamen legibus derogatum videtur per l. uli. C. qui §. adv. quos; de quo infra pluribus videbimus.*

LXIV. In pupillum etiam de dolo actio non datur, nisi fortè hereditario nomine conveniatur, aut proximus pu-  
berta-

bertati sit: tum enim ex suo dolo convenitur: maximè si lo-  
cupletior ex hoc factus est *l. heredibus 13. ff. b. t.*

LXV. Hæc actio in Personam est. Datur enim ei, qui  
dolo alterius circumventus est, adversus illum cujus dolo fa-  
ctum est. quem in hac actione designari oportet. In quo  
potissimum hæc actio, ab actione Quod metus causâ  
differt.

*Actionem  
Doli esse  
in Perso-  
nam.*

LXVI. Etenim Actio Quod metus causâ in rem  
concepra est, & datur adversus quemcunq; possessorem, et-  
iamsi is metum non intulerit, ut supra th. 46. dictum. Hæc  
autem actio, cum famosa sit, ne nimium evagetur, non in  
rem, sed in personam, quæ dolum fecit, scripta est. Vnde &  
certò comprehendi debet, quid dolo malo factum sit, ut scia-  
tur, quâ in re, à quo, actor sit circumscriptus *l. item 16. ff. b. t.*  
*Duar. c. 2. ad b. t. Donell. 15. comm. 41.*

LXVII. Nec huic nostræ sententiæ refragatur, quod  
Actio doli etiam in alios, ad quos aliquid pervenit, detur.  
Etenim hæc non ita datur contra illos, atq; contra eum cujus  
dolo factum est, sed magis sub qualitate actionis in factum,  
ut turpe lucrum auferatur: quod ipsum & in omnibus actio-  
nibus ex delicto obtinet, quæ non nisi ineptè, ex hac causâ  
in rem scriptæ dicerentur. *Baccov. ad Tr. vol. 1. disputation. 11.  
thes. 6. liter. C.*

LXVIII. Arbitraria etiam hæc est actio, & nisi reus  
arbitrio judicis restituat, sequitur Condemnatio Quanti ea  
res erit, cujus æstimatio actoris jurejurando in litem commit-  
titur; Sed officio judicis taxatione jusjurandum refrenari de-  
bet *l. arbitrio 18. in pr. ff. b. t. Duar. hinc c. 3.*

LXIX. Non tamen semper in hoc judicio arbitrium  
judicis dandum est. Quid enim, si manifestum sit, rem resti-  
tui non posse? veluti, si servus dolo malo traditus, defunctus  
sit: ideoq; protinus condemnari debeat reus, in id, quod in  
terris actoris. *d. l. 18. §. 1.*

LXX. Hæc actio cum sit Rei persecutoria, ideo et-  
jam heredibus datur: *l. heredibus 13. ff. b. t.* & fidejussori-  
bus etiam prodest. *l. 7. ff. de Excecept.* In heredes autem cæ-  
terosq;

*An here-  
dibus & cõ-  
tra here-  
des detur?*

terosq; successores, perpetuò dabitur eatenus, quatenus ad eos pervenit, dolo malo eorum factum est, quo minus pervenerit: *l. si plures §. 1. l. in heredem 26. & seq. ff. b. t.* qui tamen ex hac actione infamiã non notantur. *l. itaq; 28. & seqq. b. t.*

*Tempus  
huic acti-  
oni præs-  
tutum.*

LXXI. Olim, hanc actionem intra annum utilem. intentare, necessum erat ei, qui eã uti vellet: qui annus utilis, ab Imp<sup>o</sup> Constantino, in biennium continuum, ex eo die, quo adferitur commissus dolus, computandum, mutatus est. *l. ult. C. de dol. mal.*

LXXII. Quã *l. ult.* etiam hoc constituit Imperat. ne actio hæc intra biennium cœpta, ultra biennium possit exerceri: ac licet intra biennium actio instituta fuerit, tamen eo elapso finiatur, nec litis contestatione (ut aliæ actiones solent) perpetuetur. *Gloss. & Dd. in d. l. ult. Donell. 15. comm. c. 41. Duar. hinc c. 4. Wesenb. parat. hinc n. 8. Diss. Baccov. ad vol. 1. Tr. diss. n. 1b. 7. lit. F.*

*De alie-  
natione  
judicij  
mutandi  
causã fac-  
tã.  
Edictum.*

LXXIII. Affinis actioni de Dolo est illa Restitutio- nis species, quã Prætor iis subvenit, qui dolo adversarij, in molestias & detrimenta litium præcipitantur.

LXXIV. Cum enim Prætor intelligeret, judiciorum exitum interdum duriores constitui, opposito nobis alio ad- versario; in eam quoq; rem edicto prospexit, *ut si quis alie- nando rem alium nobis adversarium suo loco substituerit, idq; datã operã in fraudem nostram fecerit; nisi arbitrato judicis pristinam judicij causam restituat, tanti nobis in factum actio- ne teneatur, quanti nostra intersit, alium adversarium non ha- buisse l. 1. ff. de alien. jud. mut. caus. l. ex hoc edicto, in pr. & §. 1. eod. l. un. C. cod.*

*Tria re-  
quiri huic  
edicto lo-  
cus sit l.*

LXXV. Tria autem, ut ex jam dictis videre est, requi- runtur, ut huic actioni locus sit. Primò enim oportet, vel alienationem, vel cessionem rei, aut actionis, aut alterius juris, de quo controversia futura erat, factam esse. *Duar. ad b. t.*

*II.*

LXXVI. Deinde, alienationem illam mutandi judicij causã factam esse, necesse est. Potest enim aliquis dolo

dolo malo desinere possidere, nec tamen iudicij mutandi causâ fecisse, nec ex hoc edicto teneri *l. item 4. vers. potest ff. b. 1.*

LXXVII. Et quidem Futuri iudicij mutandi causâ factam esse oportet, non ejus quod jam sit: *l. ex hoc edicto 8. §. 1. b. 1.* quippe iudicium jam coeptum & constitutum alienatione non mutatur. Præterquam enim, quod ipsa alienatio nullius momenti est, etiam iudicium hoc casu, contra dolosum alienatorem, nihilominus peragitur, tanquam si adhuc rem possideret, & nihil ab eo factum sit: ita, ut sententia, etiam contra tertium illum, in quem res alienata est, executioni mandari possit *l. 2. & fin. C. de litigios. Baccov. ad d. Diss. v. ib. ult. lit. C.*

LXXVIII. Mutandi autem iudicij causâ fieri dicitur, cum molestior adversarius subjicitur, aut aliâ ratione agendi conditio durior sit & deterior. *Wesemb. hic n. 6.* ut si alterius provinciæ hominem, cujus forum sequendum sit, aut potentiorum adversarium, cui pares esse non possumus (privatum tamen, *arg. l. 2. C. ne lic. potest.*) aut alium, qui vexaturus sit adversarium, opposuerit. *l. 1. §. 1. l. 2. & 3. in pr. ff. b. 1. Plura exempla vid. in d. l. 3. §. 1. & seqq. b. 1.*

LXXIX. Tertiò requiritur, ut alienatio facta sit. III.  
Dolo malo. Nam is, qui sine dolo malo possidere desit, quantumvis iudicij mutandi causâ id faciat, huic edicto non est obnoxius. *l. item si 4. §. 1. & §. si quis 3. l. ex hoc 8. §. sed heredem 3. & seqq. l. nam & si 10. in pr. ff. b. 1.*

LXXX. Competit hæc actio in id, quod interest actoris, alium adversarium non habuisse. *l. item si 4. §. hæc actio 5. l. quia 3. §. ex quibus 4. ff. b. 1.* Itaq; si reus ostendat, actoris nihil interesse, denegabitur ex hoc edicto actio, cum causa actionis, videl. damnum actoris, non existat *d. l. 4. §. hæc actio in id. 5.* Idemq; est, si is adversus quem talis actio competit, paratus sit utile iudicium pati, perinde ac si possideret. *d. l. 3. §. ult.*

LXXXI. Dicitur autem Restitutio in integrum hoc Quomodo  
C edicto restitutio

*fac ex hoc  
edicto.*

edicto permitti, in *l. un. C. b. t.* non quod rescindatur quod gestum est, ut in aliis restitutionum speciebus: Sed ideo, quia actor restituitur, ut hac actione Prætoriam uti possit, cummero jure Civili, nullam habeat actionem: quippe illo jure adversus eum, qui non possidet, non datur rei vindicatio. *Disar. ad b. t.*

*Cui, ad-  
versus quē  
hæc actio  
datur.*

LXXXII. Datur hæc in factum actio ei, cujus in fraudem res alienata est, contra illum, qui dolo malo alienavit. Est enim in personam, & ideo contra illum, in quem res translata est, non datur, sed tantum contra dolosum alienatorem. *Duar. bic.*

*An actio  
ex hoc e-  
dicto cum  
Utili in rē  
actione  
concurrat.*

LXXXIII. Concurrat cum actione ex hoc edicto, Utilis Rei vindicatio, quā dolosus ille alienator, perinde ac si possideret, conveniri potest. *l. 27. §. 3. ff. de Rei Vind. l. 1. §. fm. de tign. juncto. arg. l. 157. §. semper. l. 131. & l. 150. de R. I.* Et actori datur electio, utram actionem uti velit. Quod si tamen is, adversus quem actio ex hoc edicto competit, paratus sit utile judicium pati, perinde ac si possideret, denegabitur adversus eum ex hoc edicto actio *l. 3. §. ult. ff. b. t.* non autem vice versa Actio utilis in rem denegabitur, etiam si reus Prætorium judicium suscipere velit. *Gloss. & Bart. ad l. 3. §. ult. b. t. Baccov. ad Tr. vol. 1. Diss. v. th. ult. lit. B. Diss. Jason in §. 1. Inst. de Act. n. 78. & Zas. ibid. n. 22. qui putant, hanc actionem cum utili in rem actione non concurrere.*

*An hoc e-  
dictum et-  
iā ad Per-  
sonales a-  
ctiones  
pertineat.*

LXXXIV. Patet ex his, Edictum hoc pertinere potissimum ad Vindicationes, vel Actiones in rem scriptas, vel mistas, quarum evitandarum causā alienavit quis rem, quam possidebat. Ad personales autem actiones non æquē pertinet: quia debitor invito creditore, alium vice suā debitorem substituere non potest *l. 1. C. de novat.*

LXXXV. Quoad agentem tamen, huic edicto (quod generale est, & quamvis alienationem, judicij mutandi causā dolo malo factam, complectitur) locus erit. *arg. l. item §. 4. §. si quis 3. ff. b. t.* quia cedere nomen alteri, debitore invito, possumus. *d. l. 1. C. de novat.*

86. Quod

LXXXVI. Quod si itaq; potentiori, aut magis privilegiato, cessio facta fuerit, unde reo iudicium difficilium futurum esset, poterit is petere, ut denegentur cessionario actiones: nisi is iisdem legibus se adstringere, aut eodem iure, quo cedens uti debuisset, agere paratus sit. *Wesemb. hinc 9. Cujac. 10. observ. 3.*

LXXXVII. Porro, quia hæc actio, à parte actoris, rei persecutionem continet *l. item si 14. §. ult. h. r.* idcirco heredi dabitur: quia verò ex delicto est, & poenalis, ex parte Rei, petiturq; quod reo non adest; ideò in heredem, vel similem, (nisi quatenus ad eum pervenit) vel post annum, non dabitur *d. l. 14. §. ult. l. 5. 6. & 7. ff. h. r. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. l. in honorariis 35. ff. de O & A. Duar. ad h. r. Wesenbec. parat. ibid. n. 7.*

LXXXVIII. Tertium, quod tam majoribus, quam minoribus restitutionis beneficium tribuat, diximus esse JUSTUM ERROREM: si videl. dum rem illud esse iudicamus, quod reverà non est, iusto errore decepti, aliquid gerimus, aut facimus, quod aliàs non faceremus *l. 2. ff. de in integr. rest.*

LXXXIX. Sed hæc causà in eo à prioribus differt, quòd hic non, ut in metu & dolo, quodcumq; gestum erit, irritum est: (multis enim casibus id, quod ex errore datum est, repeti non potest. *l. in summa 65. §. id quoq; 2 ff. de condict. ind. §. ult. Inst. de Obl. ex q. contr.*) & iis casibus, quibus irritum est, sæpius alià vià revocatur, ut videre est ex *§. is quoq; 2. Instit. quibus mod. re contrar. obl. & §. penult. Instit. de Obl. ex q. contract.*

XC. Aliquot tamen casus, in quibus restitutio hic locum habeat, à Dd. traduntur vide *Odd. q. 8. art. 7. Mauric. c. 384. & seqq.* inter quos casus & is referri potest, cum quis cum pupillo, falso tutore authore, putans illum verum esse tutorem, aliquid gesserit. Ibi enim duplex remedium competit: 1. Actio adversus tutorem, quanti ea res est. *l. 7. ff. quod fals. tut. auth.* quæ restitutio non est, sed delicti æstimationem continet. 2. Datur restitutio in integrum, modò actor

De Resti-  
tutione ob  
justum Er-  
rorem.

ignoraverit falsum tutorem fuisse; aut si dictum sit ei, & bona fide non crediderit. *l. 1. §. ult. & l. 2. ff. quod fals. tut. auct.*  
*Donell. 21. comm. c. 5. Cujac. 22. obs. 20.*

*De Resti-  
tutione ob  
Justū Im-  
pedimētū.*

**XC I.** Quarta causa, ob quam tam majoribus, quam minoribus restitutio datur, est **JUSTUM IMPEDIMENTUM**: si scilicet justo impedimento prohibiti, agere non potuerimus, & propterea vel res nostra à bonæ fidei possessore usucapta sit, vel Actionis temporalis dies exierit. *l. 1. ff. ex quib. ca. maj.*

**I.**  
*Ob justam  
absentiam  
nostram.*

**XC II.** Impedimentum hoc quadruplex est: Aut enim nascitur à nobis ipsis, aut ab adversario, aut à Magistratu, aut à rerum naturâ. *Donell. d. l.*

**XC III.** Impedimentum quod à nobis ipsis nascitur, & ob quod restitutio datur, est *Justa absentia*, videlicet cum is, qui rem nostram usucapiebat, aut debitor, qui temporali nobis actione tenebatur, in urbe fuit, nos verò ex justâ causâ absentes, ut propter absentiam nostram agere non potuerimus, atque eo modo sive usucapionem, sive temporis præscriptionem interpellare. *l. absentem 199. ff. de V. S. l. collegarum. 173. eod. l. præsens, cum l. seq. ff. de procur. Donell. l. cit.*

*Absentia  
quadruplex*

**XC IV.** Absentia hæc, aut est *Necessaria*, aut *Voluntaria*, & utraq; vel *Laudabilis*, vel *Vituperalis*, vel *Indifferens*. *Odd. q. 5. a. 7. Vid. Barr. in l. ult. C. de restit. mil. Fas. in §. rursus. Inst. de Act. n. 6. & 7. Gomes ibid. n. 4. & seqq. Zas. ibid. n. 3. Mauric. c. 333. qui paulo aliter absentia genera distinguunt.*

*Necessaria  
& laudabilis.*

**XC V.** *Necessaria* & *laudabilis* absentia est eorum, qui Reipubl. causâ absunt, quales sunt Legati, *l. sed & si 26. §. fin. ff. ex quib. ca. maj. l. legati 8. & l. 1. C. eod. & alij, qui enumerantur in l. qui mittuntur 35. ff. d. t.* Itemq; illorum absentia *laudabilis* & *necessaria* est, qui pro principe, vel patria suâ militant: Qui cum ex justissimâ causâ absint, merito in integrum restituuntur, si propter absentiam suam damnum passi sunt. *l. 1. ff. d. t. l. 2. C. eod. l. 3. C. de restit. mil. l. milites. 45. & l. si qua milit. ff. ex quib. caus. maj.*

**XC VI.** Conceditur autem illis restitutio, etiamsi procuratorem relinquere potuerint, nec reliquerint. *l. 26. §. ult. ff. ex.*

*ff. ex quibus caus. maj.* His enim qui Reipubl. causâ abfuturi sunt, ignoscendum est, si eo tempore, de tractandis potius publicis negotiis commissis, quam rebus suis in tuto collocandis cogitarunt. *Ant. Fab. ad l. 28. ff. b. r.*

XCVII. Quin & tunc, cum procuratorem reliquerunt, restitutionem petere & impetrare possunt, si forte procuratoris negligentia res perierit. *d. l. 26. §. ult. Odd. q. 29. art. 5. Baccov. d. Disp. u. tb. 17. lit. A.*

XCVIII. Sed hos sine Dolo malo abfuisse oportet, si restitui volunt. *l. 1. §. 1. ff. ex quib. ca. maj.* Si quis enim lucri captendi causâ id egerit, ut reipubl. causâ abesset, aut datâ operâ, etiam sine lucro, hoc affectaverit, aut maturius profectus sit, aut litis fugiendâ causâ coeperit Reipubl. causâ abesse, restitutio non dabitur. *l. item bi 14. cum seq. ff. b. t. Duar. ad tit. ff. ex quib. caus. maj.*

XCIX. Necessaria & Vituperabilis absentia est, in Relegatis & Bannitis, & qui propter delictum, vel investigationem ejus, publicâ custodiâ coercentur. In his distinguendum videtur, ut siquidem procuratorem relinquere, vel constituere potuerint, nec reliquerint, non restituantur. *l. 20. pr. ff. de min. l. sed etsi 26. §. 1. ff. ex quib. ca. maj. l. 23. in pr. ff. eod.* Sin non potuerint relinquere procuratorem, vel reliquerint quidem, sed postea is mortuus est, aut non egit, restitutio ipsis non est deneganda. *l. si qua 40. §. 1. ff. b. t. l. succurritur 9. & seq. ff. eod. arg. l. 28. ff. eod. Odd. q. 7. art. 3. 4. & 5.*

C. Necessaria indifferens est eorum absentia, qui à latronibus, aut ab hoste capti, vel metu pestis, aut belli, absunt. Et hi quoque, si per absentiam suam damnum incurrant, in integrum restituantur. *l. 1. §. 1. l. 2. & 3. l. succurritur 9. & seq. l. 14. & seq. l. 28. §. 1. ff. ex quib. caus. maj.* etiam si procuratorem non reliquerint. Difficile enim est, ut à captivis vel metu detentis, idoneus procurator deligatur. *Odd. q. 7. art. 6. 7. 8. & 9. Wesenb. parat. ff. ex quib. ca. maj.*

CI. Voluntaria & laudabilis absentia est studiosorum, qui studiorum causâ aliis in locis commorantur; item illorum, qui fortitudinis & gloriae causâ sponte militiam suscipiunt.

Necessaria  
& vituperabilis  
absentia.

Necessaria  
& indifferens  
absentia.

Voluntaria  
& laudabilis  
absentia.



piunt. Quorum absentia, cum respectu finis & effectus, et-  
jam Reipub. utilis sit, & ejus causa suscepta dici possit, omni-  
nò hi quoq; restituendi sunt, si ex absentia sua damnum ipsis  
contigerit. *l. 28. ff. ex quib. ca. maj. Auth. habita. C. ne fil. pro  
pat. Odd. q. 7. art. 14.*

CII. Et æquitati consentaneum videtur, ut succurra-  
tur ipsis, siue procuratorem reliquerint, & is non egerit, aut  
interim defunctus sit, siue non reliquerint, *l. sed etsi 26. §. ult.  
ff. ex quib. ca. maj. l. 28. in pr. ff. eod.* In qua ratio restitutio-  
nis non in eo, quod procurator mortuus, sed ne per justissi-  
mam absentia causam decipiatur. *Odd. q. 30. art. 3. n. 11.*

*Volunta-  
ria vitu-  
perabilis.*

CIII. Voluntaria Vituperabilis absentia est transfu-  
garum, & eorum, qui per contumaciam absunt: Quorum  
absentia, cum ipsa delictum sit, & ex delicto suo necno præ-  
mium consequi debeat, merito illis restitutio in integrum de-  
negatur *l. item si 14. ff. b. t.* Nec interest, utrum procurato-  
rem reliquerint, an non. *Odd. q. 7. art. 1. & 3.*

*Volunta-  
ria indif-  
ferens.*

CIV. Voluntaria indifferens est, Mercatorum absen-  
tia, qui peregrè, asportatum merces civitati suæ utiles, absunt.  
His si procuratorem reliquerint, & ejus negligentia res usu-  
capta sit, vel actionis temporalis dies exierit, aut si mortuus  
sit procurator restitutio non deneganda *Donell. 2. comm. c. 5.  
§. atq; hæc causa* Aliud in propolis & infimis negociatoribus,  
nulli se periculo exponentibus, sed tantum lucro vacantibus  
dicendum videtur. *Odd. q. 7. art. 16.*

*De Restis.  
ob impe-  
dimētum,  
quod ab  
adversa  
rio causa-  
tur.*

CV. Ab adversario nascitur impedimentum, cum  
è converso, nos in urbe sumus, ille autem qui rem nostram  
ufucapit, aut debitor noster, abest, nec defenditur, ut nobis  
cum eo agendi copia non fuerit *l. 1. §. 1. vers. item ff. ex quibus  
caus. major.*

CVI. Adversus hunc itaque, si quid usu suum fecerit,  
actione qua solutus sit, ob id quod dies ejus exierit, cum  
absens non defenderetur, Prator restitutionem in integrum  
promittit. Quemadmodum enim succurrit absenribus, ne  
capiantur: ita & adversus eos succurrit, ne capiant. Et sicut  
damno

damno eos affici non vult, ita lucrum facere non patitur. *l. in  
21. pr. & l. seq. §. 1. ff. b. t.*

CVII. Neq; hic, cum adversus absentiam alterius nobis succurritur, spectamus qualis fuerit ea absentia, necessaria, an voluntaria, probabilis, an improbabilis; ut tunc fit, cum succurritur absentibus: Sed adversus omnes absentes in genere Prætor restitutionem pollicetur, ita ut absens quoq; contra absentem eodem genere absentia restituatur. *l. ult. l. 1. §. 1. & l. 21. ex quibus ca. maj. Zas. ad §. rursus 5, Instit. de Act. n. 15. Odd. q. 5. art. 5.*

CVIII. Ita tamen adversus absentem succurritur, si nemo fuerit, qui eum defenderet. Nec enim aliter restitutio in integrum conceditur, quam si amici ejus interrogati fuerint, an defendant, nec quisquam defensionem se obtuloriet, aut nemo sit, qui interrogari possit: eaq; testatione completi oportet *l. ergo 22. b. t.*

CIX. Eadem quæ de absentibus diximus, obtinent etiam in illis, quos more majorum sine fraude in jus vocare non licuit, ut consulem, Prætorem, cæterosque, qui imperium potestatemve quam habent *l. sed & si 26. §. 2. ff. ex quibus ca. maj.* (hi enim antequam magistratu abiissent, in jus vocari non poterant) Idemq; est in illis, qui conventi frustrantur, & qualibet tergiversatione & solertia afficiunt, ne cum ipsis agi possit. *l. sed & ad eos 24. ff. b. t.*

CX. Hodie verò, postquam jure novo Ordinarium remedium interrumpendi præscriptionem, *l. 2. C. de annal. except.* proditum est, non facile ei, qui hoc remedium neglexit, actio rescissoria concedenda, aut saltem non magnopere necessaria videtur. Cum enim actio rescissoria prodita sit ad rescindendam usucapionem, & interrumpendam præscriptionem, postquam per remedium d. l. 2. hic effectus obtineri potest, & ita actio prima conservari, vix est, ut actio rescissoria negligenti dari debeat *arg. l. non enim 16. ff. ex quibus caus. maj. Duar. in tit. ff. ex quibus ca. maj. fol. 129. Baccov. ad vol. 1. Tr. Disp. n. 16. 17. lit. A. Diss. Jason. ad §. rursus Inst. de Act. n. 23. Gomes ibid. n. 12. Gloss. & Bart. in l. 26. §. ult. ex quibus caus. maj. Sf. Oddus q. 12. A. 4.*

III. A ma-

De Resti-  
tutione ob  
impedi-  
mentum,  
quod à  
magistra-  
tu nasci-  
tur.

CXI. A magistratu nascitur impedimentum, idemq; restitutioni locum facit, si vel ejus copia non fuit, vel jus non dixit, vel per dilationes ejus effectum, ut actio eximeretur. *l. 1. §. 1. ff. ex quib. ca. maj. l. sed & si 26. §. ait Prætor. 4. ff. b. t.*

CXII. Ita tamen hoc intelligendum est, si per gratiam, aut sordes, magistratus jus non dixit, non verò si causâ cognitâ actionem denegavit *d. l. 26. §. 4.* quia tunc appellari potuit. Unde, si appellari non potuerit, contrarium statuit *Odd. q. 13. art. 6. & Mauric. c. 354. & seq.*

CXIII. Feriarum etiam solennium hîc ratio haberi non debet: quia prospicere eas potuit, & debuit actor, ne in eas incideret: Si verò extra ordinem indictæ sint, & propterea magistratus jus non dixerit, restitutio promittitur *d. l. 26. §. si feria 7. ff. ex quib. ca. maj. Odd. q. 14. art. 3. Mauric. c. 356*

CXIV. Præterea & sine dolo malo ejus, qui restitutionem petit, actionem per magistratus exemptam esse oportet: Nam si dolus ejus intervenit, ipsi non succurritur, cum Prætor delinquentibus non subveniat *d. l. 26. §. & adjicitur 6. ff. ex quibus ca. maj.*

De Resti-  
tut. ob im-  
pedimētū,  
quod à Re-  
rum na-  
turâ ori-  
tur.

CXV. A rerum naturâ impedimentum oritur, in Aquæductibus, si fons unde aqua ducebatur, exaruit, per tempus, quo servitus amittitur, & deinde ad suas venas rediit. Hic enim ipso jure servitus non recipitur *Arg. l. Mevius 66. §. duorum, de leg. 2. l. fires 98. §. aream ff. de solut.* Sed placuit, ex hac causâ esse in integrum restitutionem: ut quod jus non negligentia, aut culpâ meâ amisi, sed quia ducere non poteram, id mihi restituatur *l. & Attilicinus 35. ff. de serv. rust. præd.* Idq; ex clausula illa ultimi Edicti: *Si qua alia justa causa esse videbitur. l. 1. §. 1. in fin. b. t. Donell. 21. comm. c. 5. §. à rerum naturâ.*

De Actio-  
ne Rescis-  
soria.

CXVI. His igitur modis, si res nostra usucapta sit, aut actionis temporalis dies exierit, Prætor nos in integrum restituit, dando Actionem Rescissoriam, quâ Rem usucaptam, tanquam si usucapta non esset, à possessore avocamus, aut debitum

debitum à debitore petimus, tanquam si actio ab ipso præscripta non esset *l. ult. C. ex quib. ca. maj. §. rursus Institut. de Act.* In quam etiam id quod interest, & fructus medio tempore percepti veniunt. *l. 23. §. 2. l. 27. & 28. §. 6. ff. ex quibus caus. maj.*

CXVII. Petitur autem & conceditur à Prætorè in modum aliarum actionum, ita quidem, ut in ipsâ actionis hujus concessione contineatur restitutio; Prætorq; restituere dicatur, dum actionem hanc (quæ nova & dativa est: *Zaf. in §. rursus. Inst. de Act. n. 6.*) concedit: ut ita hæc actio simul sit & usucapionis vel præscriptionis rescissoria, & rei vindicatio, vel actio personalis contra debitorem. *§. sed ista 3. Inst. de Act. l. ult. C. ex quib. ca. maj. l. 28. §. pen. ff. cod. l. 24. C. de R.V. Baccov. ad Tr. vol. 1. Disp. n. thes. lit. B. & th. 17. lit. C. D. & E. eog; etiam inclinare videtur Duar. ad tit. ff. de min. ad verba, ut puta rem. fol. 85. & ad tit. ff. ex quib. ca. maj. fol. 130. & 131. Vid. & Gomez. in §. rursus. Inst. de Act. n. 8.*

CXVIII. Neq; Dd. sententiâ nobis probatur, qui vulgò duplex hic judicium statuunt, videl. Rescindens, & Rescissorium. Rescindens vocant ipsam Restitutionem, sive Restitutionis tractationem: Rescissorium, actionem pristinam, remoto obstaculo renatam & resuscitatam *Vid. Jaf. ad §. rursus n. 8. & seq. Inst. de Act. Zaf. ibid. n. 4. & seqq. Odd. q. 2. a. 1. & seqq. & q. 33. a. 1. Mauric. c. 4.*

*Refutatur  
Dd. qui  
duplex hic  
judicium  
statuunt.*

CXIX. Etenim quod de renascente actione pristina dicitur, satis perspicuè refutatur, *ex §. sed ista 3. Inst. de Act. in fin.* ubi Justin. tradit hanc formulam actionis Rescissoriæ: *Quod actor dicat, reum non usucepisse, quod usucepit:* quæ formula actioni pristinæ renatæ non convenit. Et eâ simul duplicitas judiciorum refellitur: quod si enim judicio Rescindenti usucapio jam remota esset, hac formulâ & intentione non foret opus. *Gabr. Madaus ad l. ult. C. de temp. in int. rest. Baccov. d. Disp. n. th. 1. lit. B.*

CXX. Una itaq; & simplex hîc est Actio, quæ olim intra annum utilem, hodie verò intra quadriennium continuu, à tempore, quo absens est reversus, vel aliud impedi-

D  
mentum

mentum remotum, necessariò est petenda, & intentanda.  
*S. rursus Inst. de Act. l. in honoraria 35. in fin. pr. ff. de O. & A. l. ab hostibus 18. C. de postum. revers. l. ult. C. ex quib. caus. maj. l. ult. C. de temp. in int. restit.*

*An ex solo  
cap. igno-  
rancia A.  
Actio rescis-  
soria de  
iur adver-  
sari prescri-  
ptionem.*

CXXI. Ex solo verò capite ignorantia, hæc Actio Rescissoria adversus præscriptionem non datur. *l. ult. in fin. C. de præscr. long. temp. l. un. C. de usucap. transform. l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Nov. 119. c. rursus 7. c. ad aures 6. de præscr. c. volumus 2 q. 5 caus. 16. l. ult. C. de fund. patrim. quæ leges nulli ferè usui, neq; rebus, sed verbis scriptæ essent, si restitutio concederetur. Quin imò jus usucapionum, & præscriptionum, hoc modo everteretur, contra causam eorum impulsivam & inductivam, quæ est bonum publicum, ut litium tandem sit finis, nec dominia perpetuò sint in incerto. l. 1. ff. de usucap.*

CXXII. Quo etiam pertinet, quod *in pr. Inst. de usucap.* dicitur, sufficere dominis tempora usucapionibus & præscriptionibus præstituta, ad inquirendas res suas. Unde de eo, qui tamdiu rem suam ab alio possideri ignoravit, non nisi supina negligentia præsumi potest, ac propterea meritò restitutio ei denegatur. *Vid. Vasq. illust. controv. c. 75. Pinell. in aurb. nisi tricennalis C. de bon. matern. n. 59. Wesenb. parat. ff. ex quib. ca. maj. n. 10. Baccov. d. Disp. n. th. 17. lit. A.* Quamvis communissima Dd. sententia sit, quod contra præscriptionem 30. v. 40. annorum, ex capite ignorantia restitutio dari debeat. *Vid. Odd. q. 90. art. 4. & 5. Covar. in cap. male fidei de R. I. in 6. part. 3. §. 3. n. 3. Mauric. c. 56. & 58.* quæ eo casu admitti potest, quo gravissima & iustissima causa restitutionem suadet; aliàs non.

*De Restit.  
ob Capitis  
minutio-  
nem.*

CXXIII. Ultima causa, ob quam Prætor tam majoribus, quam minoribus Restitutionem pollicetur, est CAPITIS DEMINUTIO, si videl. debitor noster capite deminutus, & propterea actio vel Obligatio Civilis, quæ nobis contra illum competebar, sublata sit. Prætor enim in eos, qui posteaquam quid cum his actum, contractum vè sit, capite deminuti esse dicentur, perinde quasi id factum

nom

non esset, iudicium se daturum pollicetur *l. 2. §. 1. ff. de cap. minut.*

CXXIII. Non tamen omnis Capitis deminutio, quæ in persona debitoris intervenit, Restitutionem tribuit, sed tantum Minima, quæ salvâ civitate & libertate contingit. Cæterum, sive amissione libertatis, sive civitatis, contingat capitis deminutio, cessabit Restitutio. Illi enim qui libertatem, vel civitatem amiserunt, conveniri penitus non possunt: isti quidem, quia cum servis nulla est actio, hi vero, quia bona eorum publicata sunt. Dabitur autem actio in eos, ad quos bona eorum pervenerunt *l. pertinet 2. in pr. ff. de cap. minut. l. 7. §. 2. & 3. ff. eod. Donell. 21. comm. c. 5. §. jam. de debitore.*

*Propter quâ Capitis deminutionem restitutio datur.*

CXXV. Quin nec in quâvis minimâ Capitis deminutione debitoris, Restitutioni locus est. Nam Arrogatio neminem eâ obligatione liberat, quâ prius, cum sui juris esset, tenebatur. Cum enim filiusfam. eo tempore, quo adhuc filiusfam. est, si quid gesserit, contraxerit, non minus obligetur quàm paterfam. *l. filiusfam. 39. ff. de O & A. l. 57. ff. de judic.* multo magis, si quis cum esset paterfam. obligatus fuerit, deinde, mutato statu per arrogationem, filiusfam. esse coeperit, vetus actio, quæ adversus illum fuerat, manebit. Facilius enim impeditur quid ab initio ne fiat, quàm jam factum dissolvitur *l. patre 8. ff. de his qui sui vel alien. jur. ibi: Nam furiosus, &c.* Restitutio igitur hoc casu non erit necessaria *l. 2. §. 2. in fin. ff. de cap. minut. Donell. d. l.*

CXXVI. Ex omnibus itaq; capitis deminutionibus superest una, Debitoris nostri filijfam. emancipatio, quæ ut merâ juris Civilis subtilitate emancipatum Obligatione Civili ex contractu liberat, ita restitutionem admittere potest.

CXXVII. Etenim cum olim emancipari nemo posset, nisi in imaginariâ servilem causam deductus: *l. 3. ff. de cap. minut. §. præterea Inst. quib. mod. jus pat. pot. & contra servos* jure Civili ex contractu nulla sit actio: ideo propter imaginariam illam servitutem, stricto jure, emancipatis nulla Ob-

ligatio Civilis ex contractu adhærescere potuit, nec actio contra illos intendi. Quia verò hæc non vera servitus fuit, iniquum visum est Prætori imaginem veritati nocere, & ideo edicto suo in illos, qui, posteaquam quid cum his actum contractumvé sit, emancipati sunt, perinde quasi id factum non esset, actionem pollicetur *l. 2. §. 1. ff. de cap. minut. quæ*, quia rei persecutionem continet, perpetua est, & tam in heredes, quam heredibus datur. *d. l. 2. §. ult. l. in honorariis 35 ff. de O. & A. Wesenb. parat. ff. b. t. n. 1.*

CXXVIII. Hodie verò, cum solennitas illa imaginariæ venditionis sublata sit *l. penult. & ult. C. de emancip. liber.* nec jus suitatis, ut olim, emancipati amittant, *Nov. 118: c. 4.* proindeq; emancipatio hodie capitis deminutio dici & definiri rectè nequeat, patet, quod filius per emancipati onem obligatione non liberetur; & quoniam eadem actiones adversùs illum salvæ sunt, ne hîc quidem in integrum Restitutioni adversùs illum locus erit; Adeoq; omnis Restitutio, quæ propter status mutationem olim proposita erat, hodie vix usum aliquem habebit. *Donell. 21. comm. c. 5. §. jam de debitore, Baccov. ad Tr. vol. 1. Disp. 11. rb. 16. lit. C.*

*De clausulâ ultimâ Edicti de majoribus.*

CXXIX. Enumerata jam à nobis sunt præcipuæ causæ, ob quas Prætor tam majoribus, quam minoribus, Restitutionem in integrum pollicetur. Verùm cum adhuc multi & varij casus intervenire possint, propter quos æquum sit deferri restitutionis auxilium, nec singularim omnes recenseri potuerint; ideo Prætor, in edicto de Restitutione majorum, adjecit hanc generalem clausulam: *Si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituum, l. 1. in fin. ff. ex quib; ca. maj.* quotiescunq; igitur æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum.

CXXX. Exemplum habemus *in l. si mulier 16. in fin. & l. debitor 24. §. ult. ff. ad SC. Vellej.* Ubi mulier pro debitore apud creditorem ita intercessit, ut transferret in se obligationem per novationem. Hic mulier beneficio SC. Vellejani non tenetur: ut proinde creditor actionem amittat, cum adversus mulierem, quæ SCto liberatur, tùm adversus

vete-

vetere debitorem, qui novatione creditoris liberatus erat. Sed placuit, sic non teneri mulierem, ut à Pratore prior debitor creditori restituatur; sc. ne beneficium juris cuiquam tribuatur in alterius injuriam, contra quam fieri æquum est. *l. nec avus 2. C. de emanc. liber. Dpnell. 21. comm. c. 5.*

CXXXI. Et autum de causis communibus Restitutionis. Sequitur, ut videamus de illis, quæ MINORUM 25. annis propriæ sunt, & in horum persona beneficio restitutionis locum faciunt.

CXXXII. Minoribus autem aliquo facto laesis, non aliâ exquisitâ causâ, quàm quia minores sunt, videl. propter facilitatem & lubricum ætatis consilium, succurritur. Prætor enim naturalem æquitatem secutus edictum proposuit, quo tutelam minorum suscepit. Nam cum inter omnes constet, fragile esse & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum: Causâ cognitâ, auxiliùm eis Prætor Edicto pollicetur, & adversus captiones opitulationem *l. 1. pr. C. S. 1. ff. de min.*

CXXXIII. Ex quo edicto nulla propria actio vel cautio proficiscitur: (cum tantummodo sententiæ quæ querens erit animadversurum Prætor edicat *l. 1. S. 1. ff. de min.*) Sed totum hoc pendet ex Prætoris cognitione, *l. quod si 24. S. ult. de min. Wesenb. parat. hie. n. 8. Donell. 21. comm. c. ult.*

CXXXIV. Minores 25. annis, quibus Prætor edicto auxiliùm Restitutionis promittit, accipiunt eos, qui nondum 25. annum perfecte & omnimodo adimpleverunt. Quamvis enim alias, qui ultimum diem anni ingressus est, & si coeptus sit tantum dies, non exactus, pro minore non habetur. *l. 134. ff. de V. S. l. 5. qui testam. fac. pos. l. 1. ff. de manum.* tamen id hic locum non habet: Nam à momento in momentum, tempus spectatur, aded ut si postremo die, aut ultimâ horâ, quæ ad complementum 25. anni deest, captus sit, restitutioni locus relinquatur. *l. 3. §. minorem ff. h. t. arg. l. cum quidam 19. ff. de lib. & posthum. c. odia de R. I. in 6. Wesenb. parat. hie. n. 3. Donell. 21. comm. c. 7. in pr.*

De Resti-  
tutione  
minorum.

Quinam  
hic intel-  
ligantur  
minores.



CXXXV. Potest tamen ætas hæc statuto, aut jure provinciali variari vel minui *Odd. q. 2. a. 6.* Sicuti jure Saxoniæ minorum ætas, 21. ætatis anno terminatur. *Landrecht libr. 1. art. 42.* ac exinde tempora quadriennij currere incipiunt, & petitio restitutionis durat usq; ad annum 25. inclusive. *Wesemb. parat. ff. b. t. n. 3.*

Solis minoribus hoc Edictum propositum esse.

CXXXVI. Minores itaq; tantum hoc Edicto restituntur, qui quid amiserunt, & quorum interest in integrum restitui. Ad majores autem hoc edictum non pertinet. *l. denig. 3. §. sed utrum 4. ff. de min.* (cessat enim in illis ratio hujus edicti, *qua in l. 1. pr. ff. b. t. proponitur.*) Idq; ita est, & si quis major rem minoris gerens, ex eâ causâ obligationem aliquam in se susceperit. *l. cum qui 46. ff. b. t.*

CXXXVII. Quin et si majori, cum quo res gesta est, minor successerit, nihilominus in toto illo negotio restitutio cessabit, & minor jure defuncti utetur. *l. filiusfamil. 1. C. de filiosfam. min. l. ult. C. si adv. vend. pign. arg. l. nemo plus ff. de R. I. l. 2. §. ex his ff. de V. O. l. 3. in quib. caus. in pos. eat. Donnell. 21. comm. c. 7. §. sed ut.*

CXXXVIII. Atq; hinc etiam est, quod si negotium quod gestum est, tale fuerit, ut coeptum quidem sic cum minore, sed desierit in tempus, quo major factus est, ut cum perficeretur, restitutio cesseret: Nisi totum hoc dolo adversarij structum, & eo protractum probetur. *l. 3. §. si quis 1. ff. b. t.* Negotium enim quod visum geri intelligitur, cum perficitur. *Donnell. d. l. Wesemb. parat. de min. n. 3.*

CXXXIX. Planè, si quid gestum sit cum majore, cujus gesti incommodum ad minorem pertineat, placuit minori in integrum restitutionem esse concedendam. Hic enim reipsâ negotium cum minore gestum est: ut, si in causâ ejus contra tutores vel curatores sententia lata sit: *l. ult. C. si adv. rem jud.* quia inde judicati actio in minorem datur. *l. 4. ff. de re. jud.*

An Respublica & Ecclesia jure minorum

CXL. Non tamen hic, cum dicimus ad minores tantum hoc edictum pertinere, excludimus alios, qui similiter minorum jure utuntur, ut est Respublica. *l. 4. C. ex quib. caus. maj.*

*maj. l. per. C. de jur. Reipub. Franc. de Caldas ad l. 3. C. de in int. restit. min. verb. Minoribus. n. 61. Mauric. c. 417. & seqq. Odd. q. 3. art. 9. & seqq. ubi communem hanc tradit sententiam, quod etiam alia Civitates & Respublicae, praeter Romanam, jure minorum restituantur, per l. 1. C. de off. ei qu. vic. alic. jud. Quod & in Ecclesia locum habet. c. 1. de in int. rest. & c. 1. eod. in 6. Odd. d. l. Fr. à Cald. d. l. n. 60. Duar. ad tit. ff. & C. ex quibus caus. maj. fol. 130. Baccov. ad Tr. vol. 1. Disputation. 11. thes. 8. liter. H.*

*restitu-  
cur.*

C XLI. Quoad civitates tamen & Respublicas, praecipue in mutuo contrahendo, tres casus distinguendi videntur. Primus est, cum Civitas per illos, quibus rei pecuniarie cura commissa est, quales sunt thesaurarii, quaestores, &c. contraxit: quo casu non potest creditor efficaciter convenire civitatem, nisi in quantum in ejus utilitatem versum esse probaverit *l. civitas 27. ff. si cert. pet.* Quod si enim creditor probare non possit, in utilitatem civitatis versum esse, Respub. jure minorum in integrum restituetur *l. 4. C. quibus ex caus. maj. junct. l. 1. & 2. C. si adv. cred. Bart. ad l. civitas 27. ff. si cert. pet. Zaf. ibid. num. 11. Mascard. conclus. 1160. & conclus. 581.*

C XLII. Alter casus est, cum per eos, qui ipsam Rempubl. constituti à populo representant, v. c. Consules & Senatum, contraxit Civitas: & hinc paulò fortius obligatur, ita ut efficaciter à creditore conveniri possit, quamvis is non probet, in rem Civitatis versum esse. Restitutio tamen, si justa causa id suadeat, Civitati non deneganda videtur *Zaf. ad d. l. 27. ff. de reb. cred. n. 12. Mascard. conclus. 1160. num. 16. & conclus. 581. Baccov. ad Tr. vol. 1. Disputation. 20. thes. 5. liter. A.*

C XLIII. Tertius casus est, cum ab ipsis tribus plebis in unum convenientibus, communi consensu contractus fuit celebratus: quo casu firmissimè civitatem obligari, nec restitutionis auxilium ei concedendum esse, verius est: Nam, aliàs nunquam plenè & securè liceret cum civitatibus contrahere

An Prodi-  
gus majoris jure  
minorum  
restituatur.

An filio-  
fam. minori ex  
hoc Edicto  
restitutio  
detur.

trahere. *Baccov. d. l. Qui casus, positis terminis habilibus, etiam in Ecclesia sic distingui possunt, vid. Mascard. loc. cit.*

CXLIV. Prodigio majorenni, an restitutio adversus gesta ante interdictionem bonorum, concedenda sit, hic controversitur. Affirmat hoc *Fr. à Cald. ad l. 3. C. de Rest. Min. verb. cum non absimilia n. 3. & verb. Minoribus n. 65. per l. 27. in pr. ff. de min.* Sed contrarium verius videtur. Aut enim prodigus respectu eorum, quæ ante interdictionem gessit, Jure Civili habetur pro prodigo, & restitutione opus non est, *arg. l. 20. ff. de R. I. l. 6. ff. de V. O.* aut pro non prodigo, & iniquum videtur, ut cum injuriâ alterius, qui bonâ fidem cum eo contraxit, restitutio concedatur. Nisi fortè ante interdictionem, ea hominis conditio & administrandi ratio fuerit, ut contrahens, cum prodigum esse, & pecuniam malè perditurum, ignorare non potuerit: quo casu, prodigo succurrendum esse putat *Baccov. ad-Tr. vol. I. disp. II. th. 8. lit. H. arg. l. 8. ff. pro emtor.*

CXLV. Minor autem, qui hoc edicto restituitur, nihil interest, utrum Paterfam. sit, an filiusfam. modo si filiusfam. sit, ipsius inserit in integrum restitui, puta, si sit obligatus. *l. 3. §. 4. & seqq. ff. de min.* Nam si ipso jure tutus sit, restitutio non dabitur: ut, si contra SC. Macedonianum mutuum accipiat *l. 2. C. de filiofam. min.* De Servo minore quid statuendum sit, *vid. in l. 3. §. servus autem II. ff. de min. l. 4. & §. eod. Donell. 21. comm. c. 7. §. huic ergo.*

CXLVI. Nihil etiam interest, utrum minor suum negotium gesserit, an alienum, dum in eo quid amiserit. Et ideo, si minor suâ sponte negotiis majoris intervenerit, restituendus erit. Iniquum enim fuerit, si ex gestione minoris domino ignoranti, & cui nihil imputari potest. damnum accideret. Itaque tenetur minor domino negotiorum gestorum actione, quam aliter evitare non potest, quàm si domino cedat auxilium restitutionis, & procuratorem eum in rem suam faciat. *l. quod si minor 24. in pr. ff. h. t.*

CXLVII. Non tamen passim minoribus subvenitur, sed causâ cognitâ, *l. I. §. I. II. §. sciendum 3. ff. de min.* In  
causa

causæ autem cognitione quinq; potissimum versantur: videl.  
1. An etiam is, qui se minore profitetur, & restitutionem  
petit, sit minor. 2. An is læsus sit. 3. An læsus sit lubrico  
ætatis, seu facilitate suâ. 4. An etiam aliqua res interveniat,  
quæ justè hoc beneficium excludat. 5. Utrum ei soli succur-  
rendum sit, an etiam his, qui pro eo obligati sunt.

CXLVIII. Ætas minor, à minore, qui restituti-  
onem petit, probanda est: circa quod assertioni obstetricum  
& vicinorum præcipuè statur. Libris etiam paroccialibus,  
in quibus baptizatorum nomina & natales consignantur, ut  
& sacerdoti, qui illum, de quo quæritur, baptizavit, hæc im-  
primis fides habenda est. *Odd. q. 32. art. 4.*

CXLIX. Parentum autem & agnatorum testimo-  
nium ad summum tantum semiplenam probationem facit.  
*Odd. q. 32. a. 5.* Quantum enim cognatorum testimonio pro-  
pter præsumptam scientiam accedit, tantum ei ob falsitatis  
suspicionem detrahitur. Vide de hac probatione prolixè *Odd.*  
*q. 32. per tot. Mauric. c. 315. & seqq. Fr. à Cald. in l. 3. C. h. c.*  
*verb. Minoribus num. 12. & multis seqq. Rebuff. de restit. in int.*  
*art. 1. gl. 3. n. 3.*

CL. Læsiõ etiam à minore probari debet; id quod  
secundo loco in causæ cognitionem venire diximus. *l. verum*  
*11. §. sciendum 3. ff. de min. l. minoribus 5. C. cod. l. 1. C. de temp.*  
*in int. restit. l. nam posteaquam 9. §. si minor 4. ff. de jurejurand.*  
Quod si enim minor non sit læsus, veluti si nihil ei absit, aut  
absit quidem aliquid, sed pro eo amplius quid acceperit, aut  
acceperit tantundem, sine suo incommodo, non habebit  
in integrum restitutionem. *l. quod si 24. §. 1. ff. de min. Do-*  
*nell. 21. comm. cap. 9. in pr.*

CLI. Idem est, si id quod à minore gestum est, ipso  
jure nullum sit: Aut si quid à minore omissum sit, quod ali-  
às, si rem aliquam habere velimus, ut fiat, omninò sit necessa-  
rium, minor autem adversus omissionem illam ipso jure in-  
demnis servetur, ut in exemplis *l. 1. C. in quib. caus. in int. rest.*  
*non est nec. junctâ l. 3. §. quod ad causam. l. 5. §. 1. ff. de SC. Silan.*  
*l. minoribus 6. C. de his quib. ut indign. Item, l. ult. C. si advers.*

E

Quinque  
hic in cau-  
se cogniti-  
onè venire

Ætas mi-  
nor à mi-  
nore pro-  
banda.

Læsiõ à  
minore  
probanda.

delict.

*delict. junctâ l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. & l. 2. §. si mater ff. ad SC. Trebell. Nam si communi auxilio & merito jure munitus est, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. Il. in causa 16. in pr. & §. 1. & 3. ff. de min. l. 3. C. eod. Vid. Donell. 21. comm. c. 9. §. jure fit.*

*Lasionem  
tribus mo-  
dis contin-  
gere posse.*

CLII. Læditur autem minor tribus præcipuè modis, nimirum, Si ab aliis circumventus, vel suâ facilitate deceptus, aut quod habuit amisit, aut quod acquirere potuit, emolumentum Omisit, aut se oneri, quod non suscipere licuit, Obligavit. *l. non omnia 44. ff. de min. l. ait Prator 7. §. bodia. eod.*

*De casibz,  
quibus A-  
mittendo  
læditur  
minor.*

CLIII. Amittendo quod prius habuit, lædi potest minor, si contra eum judicatum sit, si donet, in dotem det, vendat, si transigat, dividat, si pecunia mutuo accepta in rem ejus, versa non fuerit, si quod ipsi solutum est perdat, vel inutiliter consumat, indebitum solvat: Item tum, cum res suas tempore constituto à possessore usucapi sinit. Et in his omnibus minori læso in integrum restitutio competit: quo spectant ea, quæ traduntur sub titulis *C. Si adv. rem jud. Si adv. vend. Si adv. vend. pign. Si adv. donat. Si adv. dot. Si adv. transact. vel divis. Si adv. cred. Si adv. solut. Si adv. usucap. Donell. 21. comm. c. 8.*

*De Resti-  
tutiõe ad-  
versus Rẽ  
judicatam*

CLIV. Adversus rem judicatam ut restitutio locum habeat, oportet minorem in judicio contra quod restitui petit, defensum fuisse. Cum enim minor ex se, & in causa propriâ, stare in judicio non possit, apparet sententiam contra eum indefensum latam, ipso jure nullam esse, adeoque auxilium restitutionis hoc casu supervacuum. *l. pen. C. b. r. l. in causa 16. in pr. ff. de min. Duar. ad tit. C. si adv. rem. jud. Vid. Odd. q. 72. & seqq.*

CLV. Si autem defensus sit, nihil refert, an sententiæ verba in ipsum minorem, an vero in tutorem vel curatorem concepta sint, modo judicatum sit in causâ minoris *l. ult. C. b. r.* Nam quod cum tutore vel curatore geritur nomine minoris, cum minore gestum esse intelligitur *l. cum qui 5. §. penult. ff. de constit. pecun. Duar. d. 1.*

156. Nec.

CLVI. Nec impedit beneficium Restitutionis adversus rem judicatam, quod cum ordinarium appellationis remedium adfit, extraordinarium auxilium non videatur esse tribuendum *arg. l. in causa 16. in pr. ff. b. t.* Etenim d. l. loquitur de illo casu, ubi quod a minore actum est, ipso jure est nullum, non verò, ubi quod actum est valet, sed per aliam actionem minor id quod amisit consequi potest. *d. l. 16. §. 2. & 3.* Hoc enim casu minori conceditur, ut alterutrum remedium, quod sibi utilius esse putat, eligat: Cum itaq; restitutionis beneficium, vel propter moras judicij, vel propter impensas, utilius esse possit, quàm beneficium appellationis, minori electio neutiquam est adimenda. *Mauric. c. 192. Baccov. ad Tr. vol. 1. Disp. 11. th. 14. lit. d.*

CLVII. Notandum etiam hic, quod minor adversus rem judicatam restituatur, etiamsi sententia à majoribus Magistratibus sive iudicibus lata sit. *l. in causa 16. §. ult. cum u. seqq. l. preses 42. ff. de min.* quamvis adversus illorum sententiam nulla detur provocatio: cujus diversitatis ratio redditu *in l. presciti 17. ff. de min.* Atq; hoc casu restitutio ab ipso eo, qui sententiam contra minorem tulit, facienda est. *d. l. 16. §. ult. cum seqq. ff. de min. Donell. 21. comm. c. 11 §. sequitur.*

CLVIII. In Venditione Restitutio ita faciendâ, ut tam emtor, quàm venditor in integrum jus suum recipiat. Itaq; si in vendendo fundo minor circumscriptus fuerit, emptor quidem juberi debet prædia cum fructibus restituere: juvenis autem eatenus ex pretio reddere, quatenus ex eâ pecuniâ locupletior est. *l. 27. §. 1. vers. item ex diverso ff. de min. l. quod si 24. §. restitutio 4. ff. de min. l. un. C. de reput. qua fiunt in jud. in int. Vid. Duar. ad tit. ff. de min. verb. Ait Prator, avimadvertam & c. & ad tit. C. si adv. credit.*

CLIX. Restituitur autem minor adversus venditionem, quâ læsus est, etiamsi illa interveniente Prætoris decreto celebrata fuerit. *l. siquidem 11. C. de præd. min.* Quin & adversus venditionem rerum immobilium restitutio aliter locum habere non potest, nisi inquisitio judicis & probatio causæ, interpositioq; decreti, in venditione illâ intervenerit.

E 2 cum

De Restit.  
adversus  
venditionem.

cum alias venditio ista ipso jure nulla sit *l. lex que 22. de ad-  
min. tut. l. 1. ff. de reb. cor. qui sub tutel. Duar. ad tit. C. si adv.  
vendit.*

De Resti-  
tutioe ad-  
versus do-  
rem & do-  
nationem  
propter  
nuptias.

CLX. Adversus dotem & donationem pro-  
pter nuptias, tum demum restitutio datur, si illæ justum  
modum exceßerint *l. 1. C. si adv. donat.* quod fit, si aut ultra  
vires patrimonij, h. e. ultra quàm in bonis habet, deducto  
ære alieno, aut totum patrimonium in dotem dederit *l. si ex  
causa 9 §. 1. ff. de min. l. un. C. si adv. dot.* Cæterum si justum  
modum non exceßerint, restitutio non dabitur. *Mauric. c. 207.  
& seqq. Muda. ad tit. C. si adv. dot. Duar. ibid. Donell. 21. comm.  
c. 10. in pr. vers. Idem dicemus.*

De Restit.  
adversus  
transacti-  
onem.

CLXI. In transactione idem, quod supra in ven-  
ditione diximus, locum habet, sc. ut illa, si super rebus immo-  
bilibus transigatur, interposito magistratus decreto fiat.  
Alioqui transactio nullius erit momenti, proindeq; restitutio  
non necessaria. *l. 1. ff. de reb. min. fin. decr. l. 22. C. de admin. tut.*  
Quoties enim lex prohibet alienare sine decreto, ne prætextu  
quidem litis, aut transactionis, in alium transferri potest do-  
minium sine decreto magistratus. *l. cum bi 8. §. si cum lis 20<sup>o</sup>  
ff. de transact. Duar. ad tit. C. si adv. transact.*

De Restit.  
adversus  
divisione.

CLXII. In divisione verò rerum immobilium  
ad minores pertinentium, videndum uter primùm ad divisi-  
onem provocarit. Quod si enim minor alium ad divisionem  
vult provocare, debet Senatus decretum interponere: quod  
nisi fiat, divisio non valebit, adeoq; restitutioni non erit locus.  
Sin socius major ad divisionem provocet, alienatio etiam si-  
ne decreto poterit fieri. *l. 1. ff. de reb. cor. qui sub tutel. l. inter  
omnes 17. C. de pred. min. & dabitur hoc casu minori, læso re-  
stitutio, sive decretum intervenerit, sive non.*

CLXIII. Utrobiq; autem tam in transactione, quàm  
divisione, ita restitutio facienda est, ut & adversario omnia  
in integro sint, illæq; actionibus, quæ ante transactionem,  
vel divisionem ipsi competebant, & quas transactione vel di-  
visione illâ, contra quam minor restitutus est, amisit, perinde  
uti

uti possit, ac si nulla transactio vel divisio intervenisset. *l. 1. § 2. C. b. t. Duar. & Muda. ad l. 1. C. b. t.*

CLXIV. Adversus Creditorem, à quo minor adhibitâ tutoris vel curatoris autoritate, mutuum accepit, beneficio Restitutionis in integrum minori, qui læsum se, profiteretur, succurritur, nisi creditor, saltem argumentis, quæ verisimilem rem faciant, probet in rem minoris versum esse, & minorem, ex pecuniâ mutuo acceptâ, locupletiores factum *l. 1. § 2. C. si adv. credit. l. ult. ff. de exercit. act. Odd. q. 51. art. 4. & 5.*

CLXV. Quamvis enim in aliis contractibus, creditor, nisi de minore locupletiore facto excipiat, non teneatur probare illum locupletiores esse factum *arg. l. minoribus 5. C. de in int. rest. l. nam posteaquam 9. §. si minor 4. ff. de jurejur.* In mutuo tamen, cum plerumq; ex eo majora damna, quam ex aliis contractibus minores consequantur, singulari jure, constitutum est, ut incumbat adversario probatio. Idq; tam in ea pecunia, quæ sine usuris, quam quæ sub usuris credita, est obtinere putamus *d. l. 1. § 2. C. si adv. cred. Duar. & Muda. ibid.*

CLXVI. Si id quod sibi ex causâ debiti, non expectatâ judiciali sententiâ, solutum est, perdidit, vel inutiliter consumserit minor, succurritur ei beneficio restitutionis, sive ipsi minori, sive curatoris ejus solutio illa facta fuerit. Quamvis enim jure ff. si solutio adhibitâ curatoris autoritate facta esset, minori restitutio adversus debitorem vix concedenda videatur, cum nihil sit, quod debitori imputari possit, qui ritè pecuniâ solvit. *l. Lucius 46. §. 5. ff. de adm. tut. l. 7. §. 2. ff. de min.* Attamen postquam Justinianus autoritatem judicis intervenire voluit, & tum demum plenissimam securitatem solutionem sequi, etiam si pecunia malè collocata fuerit, constituit, *l. sancimus 25. C. de adm. tut. §. ult. Inst. quib. alien. lit.* est quod imputetur creditori, quod ommissa hac solennitate soli curatoris solverit *Bachov. ad Tr. vol. 1. Disp. II. tit. II. lit. C. Vid. & Mauric. c. 146. Odd. q. 52. art. 2. & 3. Muda. ad l. 1. C. si adv. solus,*

*De Restit.  
adversus  
Creditore.*

*De Restit.  
adversus  
solutione  
minori  
factam.*

167, Sunt



CLXVII. Sunt tamen casus, in quibus restitutio non datur, etiam si solutio, non expectata judiciali sententia, facta fuerit, sc. si annui reditus, & pensiones minori solvantur *d. l. 25. C. de adm. tut. quod in l. 37. C. eod.* extenditur etiam ad usuras, dummodo non excedant metas biennij, & summam centum solidorum. In illis enim solvendis, non necessum est, ut iudicis auctoritas adhibeatur, quia sc. huiusmodi solutiones sunt modicæ; & molestum esset debitoribus, quotannis adire iudicem, ut suum decretum interponeret. *Duar. ad tit. C. si adv. solut. Odd. d. l.*

*De Restit.  
adversus  
solutionem  
à minore  
factam.*

CLXVIII. Si minor ipse solverit id, quod naturaliter debebat, jure autem Civili non debebat; itemque si id, quod nec naturali nec Civili jure debebat, errore juris solverit, aut ex iis causis, ex quibus lis per inficiationem crescit, succurritur ei beneficio restitutionis in integrum. *l. interdum 29 ff. de cond. indeb. l. 2. C. si adv. solut.* Quin & his casibus, cum conditio indebiti locum habere non possit: *l. cum quis 10. C. de jur. & fact. ign. l. error 9. C. ad leg. Falcid. l. si non forsem 26. §. libertus 12. l. naturaliter 13. l. si quod 64. ff. de cond. indeb.* non aliter minori succurri potest, quam hoc extraordinario remedio. *Duar. ad tit. C. si adv. solut. Bachov. ad Tr. d. Disp. II. th. II. lit. A. Vid. & Mauric. c. 180. Mude. ad l. 2. C. si adv. solut. Odd. q. 52. per tot.*

CLXIX. Restitutio aurem hic ita facienda est, ut restitutus in integrum minor, mox quod solverat, recipiat, non verò ut petat restitui ad conditionem indebiti, quam deinde ex jure communi, cum restitutus erit instituat, *ut vult Bart. ad l. interdum ff. de cond. indeb.* Inutilis enim actionum multiplicatio hinc sequeretur, cui leges utique, quantum possunt, resistunt. *Mude. d. l.*

*De Restit.  
adversus  
usucapio-  
nem.*

LXX. Adversus usucapionem rerum mobilium, quæ res mobiles minoris puberis (pupillorum enim res usucapi nequeunt *l. bonæ fidei 48. ff. de A. R. D.*) tempore constituto, à possessore usucapiuntur, minorem in integrum restituendum esse, sancitum est *in l. un. C. si adv. usucap.* Quæ cum

cum per *l. ult. C. in quib. ca. in int. rest.* (quæ constituit Justin. ut præscriptiones temporales adversus minores ipso jure nõ currant.) non sit expressè abrogata, etiam hodiè vigorem suum obtinebit *arg. l. 32. in fin. C. de appell. Nov. 20. c. ult. in fin. Nov. 98. c. ult. in fin.* præsertim cum vix locus in jure nostro reperiatur, ubi Justin. præscriptionis vocabulum de usucapione rerum mobilium usurpet.

CLXXI. De Præscriptionibus autem Temporalibus, cum quæritur, An restitutio adversus illas locum habeat, omnino distinguendum est inter Præscriptiones Legales & Conventionales.

CLXXII. *Legales Præscriptiones* sunt, quæ à rigore ipso legis proficiscuntur. Adversus has regulariter restitutioni locus esse nequit, postquam Justin. in omnibus illis casibus, in quibus olim temporales præscriptiones adversus minores currebant, & per integrum restitutionem illis subveniebatur, eas ipso jure non currere debere constituit. *l. ult. in quib. ca. in int. rest. nec.*

CLXXIII. Ubi norandum, Præscriptionem longi temporis, ut & alias quasdam Præscriptiones temporales, ne quidem ante Justiniani tempora minoribus cucurrisse *l. 3. C. quib. non obj. long. temp. præscr. l. i. C. si quis ign. rem min. l. 2. C. in quib. ca. rest. in int.* Unde occasione sumtâ, ut alibi sæpè, in universum statuisse videtur Justin. *in d. l. ult.* ut omnes præscriptiones temporales contra minores non concurrerent. *Mudæ. ad d. l. ult.*

CLXXIV. In illis autem casibus tantùm Constitutioni suæ locum esse voluit Justinianus, in quibus vetera jura currere quidem temporales præscriptiones adversus minores concesserunt, per in integrum autem restitutionem illis subveniebant. Unde ab illis præscriptionibus, quæ ipso jure minoribus non currunt, excipiuntur 1. Præscriptiones 30. vel 40. annorum. quas in statu veteri Justin. reliquit, ut sc. contra adolefcentes jure currant, non verò contra pupillos. *l. 3. C. de præscr. 30. ann.*

CLXXV. Et has Præscriptiones ita contra minores pube-

*De Restit  
adversus  
Præscri-  
ptiones.  
Legales  
Præscri-  
ptiones  
regulari-  
ter adver-  
sus mino-  
res non  
currere.*

*Præscri-  
ptiones 30.  
vel 40. an-  
norũ absq̃  
sæ restitu-  
tionis mi-  
noribus  
currere.*

puberes currere putamus, ut restitutio nõ detur. Nam Imp̃ Honor. & Theodosius *in d. l. 3.* itemq; Justin. *in d. l. ult.* non nudum cursum temporis, sed effectum rei respexisse videntur. Quod si enim restitui contra has exceptiones, easq; ita non obesse minori voluisset Justinianus, potius ne ipso jure current, constituisset, quàm ut post causam vulneratam remedium quæreretur, ut loquitur Justin. *in d. l. ult. C. in quib. ca. in int. rest. non nec. Vid. Gloss. ad d. l. ult. in fin. Baccov. ad Tr. vol. 1. Diss. 11. lb. 12. lit. A. Mauric. cap. 109. & seq. Diss. Odd. q. 88. art. 4. & q. 90. art. 1. n. 3. Fr. à Caldas in l. 3. C. de int. rest. verb. sua facilitate. n. 46. & 48. Duar. ad d. l. ult. C. in quib. caus. Muda. ibid. in fin.*

CLXXVI. Deinde excipiuntur illæ Præscriptiones, quibus extinguitur jus persequendi injuriam, pœnam, accusationem, vel quippiam simile odiosum tollitur: hæ enim etjam olim, sine spe Restitutionis minoribus currebant: quarum exempla peti possunt ex *l. si mater b. C. ne de stat. defunct. l. auxilium 37. pr. & §. 1. ff. de min. Vid. Donell. 21. comm. c. 12.*

CLXXVII. Tertio excipiuntur illæ præscriptiones, quæ ab ipso Justiniano ita inductæ sunt, ut current contra minores, sed adversus illas causâ cognitâ in integrum restituerentur: ut, quæ objicitur agenti de dote cautâ non numeratâ. Eam enim querelam statuto tempore, decennio videl. minor quoq; amittit: sed restituitur, modò restitutionis postulatio non excedat duodecimum annum à die nuptiarum in ipso minore; in defuncti verò herede minore quinquennium, ab obitu defuncti computandum. *Auth. si minor. C. de temp. in int. rest. Nov. 100. c. 2.*

CLXXVIII. Huc etiam pertinet præscriptio triennij finiendis litibus præstituti. *l. properandum 13. C. de judic.* Publica enim utilitas, quæ ad lites finiendas spectat, suadet, ut minoribus hic non saveatur, sicut in aliis præscriptionibus: imò ne restitui quidem possint, nisi omni alio auxilio destituantur; veluti, cum omnis actio inanis est adversus tutores vel curatores. *d. l. properandum 13. §. penult. & ult. C. de jud. c. Donell. 21. comm. c. 9. Duar. & Muda. ad l. ult. C. in quib. caus. in int. restit.*

CLXXIX. Quartò, à præscriptionibus illis, quæ ipso jure minoribus non currunt, excipimus Præscriptiones novis legibus vel statutis inductas; veluti, anni & diei in re tractu gentilitio: *c. constitutus. de Rest. in int.* item ad feudi investituram petendam *c. 1. S. præterea si quis. de probib. feud. ab. per Frid. 2. Feud. 55.* quas & ipsas currere adversus minores puberes arbitramur, ita tamen, ut causâ cognitâ restitutio in integrum illis non denegetur. *Muda. & Duar. ad d. l. ult. Disf. Bart. ad d. l. ult. & ad l. etiam 45. ff. de min. & alij quos recen. set Odd. q. 88. art. 5.*

CLXXX. *Conventionales præscriptiones*, sunt exceptiones temporis, quæ ex conventionione contrahentium constituuntur; ut, quando minor vendidit cum pacto de redimendo intra certum tempus. Ad has constitutio d. l. ult. ne utiquam est extendenda, ne quod in favorem minorum inductum est, in odium ipsorum retorqueatur; quia nemo cum eis contraheret, dum minores existerent, neq; pactum hoc emtores rerum pupillarium vel adolescentium unquam velent facere. *l. quod si minor 24. §. non semper 1. ff. de min. l. E. milius 38. ff. cod.* Quapropter current quidem hæc præscriptiones adversum minores, sed causâ cognitâ in integrum restitutio ipsis concedenda est. *Odd. q. 88. art. 2. n. 31. & seqq.*

CLXXXI. Idem etiam de illa Præscriptione dicendum, quæ ex dispositione testatoris oritur, cujus exemplum est *in l. 3. §. etsi hæres 8. ff. de min.* Lex enim facilius moderatur suum inventum, quàm contrahentium, testantiumve apertas voluntates. *Muda. & Duar. ad l. ult. C. in quib. caus. in int. rest. non nec.*

CLXXXII. Atq; hæc de casibus, quibus Amittendo læditur minor 25 annis *Omittendo*, quod acquirere potuit, lædi potest minor, cum hereditatem sibi delatam, vel legatum repudiat: & hinc minori læso itidem beneficio restitutionis subvenitur *l. 1. C. si ut omiſs. hered. l. ait Prator. 7. §. hodie 6. & seq. ff. de min.*

CLXXXIII. Cum adversus omiſsam vel repudia-

*Præscri-  
ptiões no-  
vis Legib;  
inductas  
adversus  
minores  
currere.*

*Convētio-  
nales Præ-  
scriptiões  
adversus  
minores  
currunt,  
cum spe  
Restituti-  
onis.*

*De Casib;  
quibus O-  
mittendo  
læditur  
minor.*

*De Resti-  
tut. adver-*

F

*ius omnia  
vel repu-  
diata he-  
reditatem.*

pudiatam hereditatem restitui desiderat minor, quaeritur, An omnia in integro esse oporteat, an verò restituatur, minor etiam si res hereditariae jam sint distractae; quã in specie pugnare inter se videntur *l. quod si 24. §. Scævola 2. ff. de min.* ubi minorem distractã hereditate, & negotiis finitis restitui debere negatur: & *l. ult. C. de Repud. hered.* ubi minorem etiam rebus hereditariis distractis restituendum esse dicitur.

CLXXXIV. Variæ has ll. conciliandi rationes à Dd. afferuntur: Communius tamen placuit, Justin. *in d. l. ult.* de illo casu loqui, ubi res hereditarias vendiderunt creditores: Scævola verò, *in d. l. 24.* cù substitutus res hereditarias vendidit, & debita persolvit: quo casu omnibus negotiis finitis ad paratam laboribus substituti pecuniã, quæ deductis oneribus reliqua invenitur, minorem restitui iniquum esset. Vid. hujus diversitatis rationes ap. *Bart. in d. l. 24. ff. de min. Muda. in l. 1. C. si ut omis. hered. Odd. q. 63. a. 2.*

CLXXXV. Restitutus autem adversus hereditatem omissam vel repudiatam, etiam pro eadem rursus deferendã, restitutionem petere & impetrare potest *l. ait Prætor 7. §. restitutus 9. ff. de min.* Neq; hoc per *l. ult. §. penult. C. de bon. que lib.* abrogatum est. Præterquam enim, quod casus illi diversi sint, frequentius placuit, speciale esse in patre, contra quem ob reverentiam ei debitam semel restitutum esse, satis sit. *Mauric. c. 132. Odd. q. 16. art. 9. Bach. ad Tr. vol. 1. Diss. 11. tb. 10. lit. G.*

*De Casibz,  
quibz mi-  
nor ladi-  
zur susci-  
piendo onus  
De Restit.  
adversus  
aditionem  
heredita-  
tis.*

CLXXXVI. Deniq; Onus suscipiendo, quod non suscipere licuit, læditur minor, cum damnosam hereditatem adit, eivè se immiscet; itemq; cum promittit id, quod ipsi non promittere liberum erat.

CLXXXVII. Si hereditatem damnosam adierit, aut illi se immiscuerit minor pubes (impuberibus enim sine restitutione præstatur à Præatore abstinendi facultas. *l. necessariis 57. pr. ff. de Acq. vel omitt. her.*) in integrum restitutio ipsi conceditur. *l. 1. C. si min. ab hered. se abst. sive inventarium ab ipso confectum fuerit, arg. l. minoribus 6. ff. de min. sive illud conficere neglexerit, Nov. 1. c. 4. §. 1. Muda ad l. 1. G. d, & Duar. ibid.*

188, Quia

CLXXXVIII. Quia autem in his causæ cognitio necessaria est, oportet legatarios & creditores hereditarios esse præsentis. Omnes enim illi, quorum interest, vocandi sunt, ut adsint, aliàs quod gestum erit ipsis absentibus & non vocatis, eis non nocebit *l. etiam 29. §. ult. ff. de min. l. i. C. de pred. min.*

CLXXXIX. Si itaq; in civitate fuerint creditores denunciandum eis est, ut adsint; Sin absint à civitate, solenniter edictis propositis, vel per præconem citandi sunt. *Nov. 119. c. 6. Auth. si omnes C. si min. ab hered. Muda. ad d. auth. Duar. ad d. r. C. si min. ab hered.*

CXC. Si quid autem minor, postquam se immiscuit hereditati, aut eam adiit, sine dolo malo gessit, vel solvit, & deinde restitutus est, quod interim gestum fuit, ratum manebit *l. quoties 44. ff. de Acq. hered.* Sed quod ex eà administratione pervenit in rem minoris, ei restituere debet minor, ad quem pertinent hereditaria bona. *l. ait Prator 7. §. sed est 5. vers. plane ff. de min. l. in integrum 22. ff. eod. Duar. d. l. Mu. da. ad l. i. C. si min. ab hered.*

CXCI. Adversus promissionem inconsultè factam minori quoq; in integrum restitutio datur: v. c. Si pacto à minore inito pœna conventionalis per stipulationem adjecta fuerit, & in eam minor propter non servatum pactum inciderit: Hoc enim casu minori hoc beneficio succurri debere, communiter Dd. statuunt, teste *Odd. q. 82. art. 10.*

CXCII. Tertium, quod Circa Restitutionem minorum in Causæ cognitionem venit, est, ut supra diximus, *An. lesus sit lubrico atatis*, h. e. an vel alterius dolo circumventus, vel suâ facilitate deceptus, damnum incurrerit. *l. verum 11. §. si locupletari 5. ff. de min. l. non omnia 44. eod.*

CXCIII. Etenim si quid à minore ab initio consultè & more bonorum patrumfam. gestum fuerit (ut si quid necessario vel utiliter gessit, aut ex communi more honestè impendit) & eventus aliquis improvisus utilitatem aut fructus rei gestæ auferat, Restitutio non dabitur *l. i. C. qui C. adv. ques.* Neq; enim eventus damni restitutionem indulget, sed

*De Restit.  
adversus  
promissionem.*

*Minorem  
oportet  
lesum esse  
Lubrico  
atatis.*

inconsulta facilitas, ut exemplis declaratur in l. inter eos §. 1. §. pen. ff. de fidejuss. l. 11. §. 4. & §. ff. de min. l. 1. C. si adv. donat. l. 9. §. 1. de min. arg. à contrario. Donell. 21. comm. c. 10. Duar. ad. l. 1. C. qui & advers. quos.

Adversus  
dolum su-  
um mino-  
ri nõ sub-  
veniri.

Si minor  
se majorẽ  
dicat.

CXCIV. Idem est, si suo ipsius Dolo minor dam-  
num incurrat, sive in contractibus, sive in Delictis dolo-  
is intervenerit. Nihil enim magis contrarium infirmitati,  
quàm malitia, & simplicitati, quàm Dolus l. 1. C. si adv. de-  
lict. Nec calliditas auxilium meretur. l. 2. §. 3. ff. ad SC. Villej.  
l. 2. C. si min. se maj. l. 9. §. 2. ff. de min.

CXCV. Sic, si minor alterius circumveniendi causã,  
quo citius secum tanquam cum majore contraheretur, se ma-  
jorem dicat, & ex aspectu corporis persuadeat adversario,  
placet illum non esse restituendum, quodcumq; ex eo, quod  
per eam causam cum alio gestum est, damnum traxerit l. 2.  
& 3. in pr. C. si min. se maj. l. minor 32 ff. de min. Nisi fortè ad-  
versarius non ignoravit illum esse minorem. Hic enim non  
à minore, sed à seipso decipitur. l. nam si 26. ff. de R. V. l. ne-  
mo videtur 145. de R. I. Donell. 21. comm. c. 10.

CXCVI. Quod si adversarius minorem, ut se ma-  
jorem affirmaret, dolo induxerit, restitutio minori concedi-  
tur, etiam si interposito sacramento se majorem affirmaverit,  
quia utiq; prodesse adversario dolo non debet, qui quã faci-  
litate minorem ad eam falsam ætatis adsertionem induxit,  
eãdem malitiã ad jurandum hunc excitasse creditur. arg. h.  
doli mali 19. vers. diversum ff. de novat. Et hanc communem  
omnium sententiam esse, testatur Odd. q. 24. art. 5. Vid. &  
Mauric. c. 170. Mynsing. 4. obs. 20.

CXCVII. Aliud est, si minor seipsum, falsã opinio-  
ne ductus, itemq; adversarius eundem, citra dolum alteru-  
trius, majorem existimet; tum enim non denegatur quidem  
minori restitutio, attamen si juramento corporaliter præsti-  
to majorem se affirmaverit, restitutio non dabitur l. 3. C. si  
min. se maj. Sin tantum in instrumento per sacramenti re-  
ligionem majorem se adseveraverit, ita restitutio est, si mi-  
nor

nor palàm & evidenter ex aliorum instrumentorum proba-  
tione, non per testium depositiones, se fuisse minorem osten-  
derit. *d. l. 3. C. si min. se maj. Odd. q. 24. art. 2. Donell. 21. comm.*  
*e. 10. Diss. Mauric. c. 170. n. 8. & 9. quem sequitur Mynsing. 4. obs.*  
*20. in fin.*

CXCVIII. Quemadmodum in contractibus minori,  
qui suo ipsius dolo damnus incurrit, non subvenitur, sic  
nec in Delictis dolo commissis, restitutio ei tribuitur / *9. S.*  
*2. l. 37. §. 1. ff. de min. l. 2. C. si adv. delict.* Nam ubi malitia  
ætatem excedit, ibi ætatis ratio non habetur, & magis in re-  
est reipubl. delicta puniri, quàm minoribus subveniri. *Mauric. cap. 153. & seq. Fr. à Cald. ad l. 3. C. de in int. rest. verb. vel ad-*  
*versarij dolo. n. 39.* Placuit tamen, pœnam ob circumstantiam  
ætatis, à judice esse mitigandam, *l. auxilium 37. §. in delictis.*  
*ff. de min. Odd. q. 80. art. 7. & 9.*

CXCIX. In delictis latâ culpâ commissis distinguen-  
dum videtur, quòd aut quærimus de casibus & delictis, qui-  
bus dolus & lata culpa non comparantur, (ut sit ferè in omni-  
bus delictis,) & hîc cum etiam major pœna ordinariâ non  
puniat, Restitutionem minori nõ denegandam esse, æquius  
videtur; aut in quibus comparantur (ut in lege Aquiliâ *S. 3.*  
*cum seqq. Inst. de leg. Aquil.*) & hîc tamdiu standum erit regu-  
læ, sc. quod in his æquè puniri debeat, qui latâ culpâ, quam  
qui dolo deliquit, donec exceptio in personâ minoris probe-  
tur. *Baccov. ad Tr. vol. 1. Diss. 11. th. 12. lit. C.*

CC. Cum autem Omittendo deliquit minor, distin-  
guendum est inter ea, quæ jure nature, vel gentium delicta  
sunt, & quæ tantum lege Civili pro delictis habentur. In illis  
minori, qui dolo vel latâ culpâ deliquit, non succurritur,  
cujus exemplum est *in exsb. Si captivi. C. de Episc. & cleric.*  
*Nov. 115. c. 3. §. 13.* in eo qui non redemit patrem ab hostibus:  
ei enim contra exheredationem non succurritur, nisi fuerit  
minor 18. annis. quamvis *Odd. q. 80. a. 2.* etiam hoc casu mi-  
noribus 25. annis succurrendum putet, si nullus omninò do-  
lus vel malitia adfuerit, sed solum inciviâ & negligentia suâ  
minor patrem non redemerit.

An adver-  
sus delicta  
minori  
succurra-  
tur.

De casibus  
quibus O-  
mittendo  
deliquit  
minor.



CCI. In his verò, quæ tantum Lege Civili pro delictis habeantur, succurritur minoribus, etiamsi lata culpa illorum in delicto versetur, modo non manifestus dolus appareat. *Odd. d. q. 80. art. 2. & 3.* veluti, si mater non petierit tutorem liberis, *l. ult. si adv. delict.* si minor non solverit vectigal. *l. 6. §. pen. ff. de min. Odd. q. 82. art. 5.* si implere præceptum testatoris omiserit. *Odd. q. 82. art. 6.*

An minor  
adversus  
contumacia  
sua re  
solvatur.

CCII. Unde etiam quæstio illa decidenda est, An minor adversus contumaciam suam (quam, si curatore præsentem litigat, committere potest) & consequenter adversus poenas contumacibus infligendas, restitui debeat? Quod si enim minor verè contumax fuit, ita ut manifestè de dolo ipse constet, (veluti, si citatus dicat se nolle comparere, & malitiosè non concompareat;) restitutio ipsi non est concedenda. Sin præsumta tantum contumacia fuerit, ut cum minor lata vel levi culpa, fortè per imperitiam vel incuriam, jurisve sui neglectum abfuit, restitutio dabitur. *l. 8. ff. de min. Fr. à Cald. in l. 3. C. de in int. rest. verb. legis. n. 3. & seqq.* Nam & adversus dolum præsumtum minor restituitur, quod quomodo intelligendum sit, bene declarat *Odd. q. 80. art. 3* videl. quod iis casibus, quibus majores in dolo esse crederentur, in minore præsumatur negligentia, non dolus.

Quod si  
adversus  
contumacia  
sua re  
solvatur.

CCIII. Quod autem diximus, in Delictis dolo commissis minorem non restitui, accipiendum est, de delictis veris, & quæ admittæ esse constat: itemq; si de restitutione adversus ipsum delictum agatur. Aliud enim est, si fortè reus delicti in processu omissione allegationum læsus fuerit; *Fr. à Cald. ad d. l. 3. C. de in int. rest. verb. vel adversarij dolo. n. 39.* Idemq; dicendum est, si minor, vel errore, vel imprudentia delictum confessus fuerit. Hoc enim casu, cum & majoribus succurratur, si aliunde de delicto non constet, *l. n. §. Divus Severus. 17. & §. si quis. 27. ff. de quest. multo magis minoribus subveniendum est. l. 6. §. in pupillo. ff. de confess. Rebuff. de Rest. in int. art. 1. gl. 3. n. 24. Cald. d. l. itemq; in verb. sua facultate. n. 32.*

De causis  
propter

CCIV. Quartò in Causa cognitione spectatur, An  
etiam

etiam aliquid interveniat, ob quod restitutio merito denegatur: quod fit tribus præcipue modis: 1. Propter rem, contra quam restitutio petitur. 2. Propter personam ejus, contra quem postulatur. 3. Propter factum minoris. *Don. 21. com. c. 11.*

CCV. Propter Rem, contra quam petit quis restitui, denegatur restitutio, si ea aut per se, & natura sua non admittat in integrum restitutionem, aut adversus eam restitutionem concedi iniquum sit, quarum rerum novem occurrunt species. *Donell. d. l.*

CCVI. Prima est *Libertas*, adversus hanc enim cum semel jure data erit, nulla locum habere potest in integrum restitutio, etiamsi ipsius servi dolo circumscriptus minor illum manumiserit *l. 2. § 3. C. si adv. libert. l. minor 48. §. 1. ff. de min.* Nam ubi quis semel liber factus est, quia ad naturalem statum rediit, non potest fieri servus, nisi interveniente aliquo modo ex iis, qui Jure Gentium vel Civili ad servitutum inducendam constituti sunt. *Ant. Fab. ad l. 9. §. ult. ff. de min. Fr. à Cald. ad l. 3. C. de in int. rest. verb. Læsis n. 158. Donell. d. l.*

CCVII. Quod si tamen magna causa sit, quæ minorem restitui suadeat, veluti, si manumissio servi ad everisionem domus minoris pertineat, aut operâ manumissi omnino carere nequeat minor, Restitutio à principe impetrari potest, non verò à Prætorè. Prætor enim, quod jure impossibile est, facere non potest; Princeps autem potest, quia supra leges Civiles est. *Ant. Fab. ad d. l. 9. Mauric. c. 249. Odd. 9. 55. art. 4.*

CCVIII. Quemadmodum adversus libertatem à se datam minori non succurritur, sic nec adversus *Servitutem*, in quam facilitate & levitate ætatis se coniecit, restitutio ei conceditur; veluti, si minor 25. annis, major tamen 20. ad pretium participandum se venundari passus sit *l. si ex causâ 9. §. 4. ff. b. t. juncto §. penult. Inst. de jur. person. ad quem vid. Mynsing.* Hic enim, cum statum ita mutet, ut omnino desinat statum aliquem habere, non est qui restitui possit: quia servi jure Civili pro nullis habentur *l. quod attinet 32. ff. de R. I. Mauric. c. 242. n. 3. Cald. ad l. 3. C. de int. rest. verb. Læsis. n. 158. §. verb. hunc contractum. n. 29. Donell. 21. com. c. 11.*

quas minori restitutio negatur, quamvis sua facilitate læsus sit.

De Rebus, quæ restitutionem excludunt. Adversus libertatem restitutionem non dant.

Adversus Servitutem minorè non restitui.

*Nec ad-  
versus Ma-  
trimoniū  
ritè con-  
tractum.*

CCIX. His tertio loco addi potest *Matrimonium*, quippe quod etiam naturā suā restitutionem non recipit: Semel enim ritè contractum dissolvi non debet, nisi ob causas jure Divino approbatas *Matth. 5 vers. 31. & 19. v. 9. 1. Cor. 7. vers. 15. & 39* Non restituetur itaq; minor pubes, etiam si cum vetulā edentatā, aut deformi, vel dives cum inope matrimo- nium contraxerit, *per text. in c. 1. caus. 29. q. 1.* cum enim nec ob errorem circa fortunam, aut qualitatem personæ commis- sum revocetur matrimonium, multo minus ob id retractan- dum est, quod quis ex inconsultā facilitate, vetulam vel de- formem, aut inopem duxerit. *Mauric. c. 245. Odd. q. 60. art. 1. Cald. ad l. 3. C. de Rest. min. verb. hunc contractum. n. 29.*

CCX. Aliud tenendum in sententia super matrimo- nio latā: Adversus quam restitutio non est deneganda *Odd. q. 60. art. 3.* Ut enim matrimonium ritè contractum, nisi ex legitimis causis, nullatenus dissolvendum, ita pariter cavend- um, ne ad ineundum quisquam iniquā judicis sententiā cō- pellatur. *Hillig. ad Donell 21. comm. c. 12. lit. F.*

CCXI. Quartò Restitutionem non admittunt *Pre- scriptiones illæ temporales*, quas singulari jure placuit non so- lum currere adversus minores, sed etiā ita currere, ut adver- sus eas impletas denegetur minoribus in integrū restitutio. De quib. cum supra *tb. 174. & seqq.* actum sit, eò nos remittim⁹.

*Tres Solu-  
tionū spe-  
cies, quæ  
restitutio-  
nem ex-  
cludunt.*

CCXII. Quintò non admittunt restitutionem *tres species Solutionum minori factarum*, quarum duas jam supra *tb. 167.* recensuimus, videl. Solutionem reddituum & pensionum, itemq; eam solutionem, quæ minori aut tutori, curatorivē ejus ex sententiā & jussu judicis facta fuit. Tertia species, est fidei commissariæ hereditatis restitutio minori ab herede, scripto facta. *l. pen. in pr. C. ad SC. Trebell.* Hic enim fideicom- missarij heredis nihil interest, adversus heredem fiduciarium, qui voluntati defuncti paruit, restitui. Non, si hereditas lu- crosa, ut manifestū est: nec si damnosa, quia contra creditores hereditarios restitutionem impetrare potest. *Don 21. com. c. 11.*

*Distractio  
pignorum  
non facile*

CCXIII. Sextò adversus *Distractionem pignorum* non facile restitutioni locus erit. Ubi tamen multum refert, à quo pigno-

pignoris initium coeperit. Etenim, si pignus in persona de  
functi majoris, cui minor successit, initium habuerit, nulla  
est minori adversus distractionem hujus pignoris restitutio,  
sive ex conventionē, sive autoritate magistratus distractum  
fuerit. *l. ult. C. si adv. vendit. pign.* quippe hic cum majore res  
gesta est, non cum minore.

CCXIV. Unde aliud dicendum videtur, si minor post  
paternam mortē fuisset à creditore interpellatus, ut solveret,  
nec id fecisset, ita ut occasione ejus moræ creditor vendendi  
pignoris potestatem fuisset assecutus. tali enim casu mino-  
rem enormiter læsum restituendum esse putat *Mauric. c. 104.*  
*n. 6. arg. l. Æmilius 38. ff. de min.*

CCXV. Quod si in personā minoris coeperit pignus,  
non aliter restitutio minori conceditur adversus distractio-  
nem, quàm si in eā magnum sit & enorme minoris damnum  
*l. si ex causa. 9. in pr. ff. de min. l. 1. § 3. C. si propt. publ. pensit. l. 1.*  
*§ 3. C. si adv. fisc. l. 3. C. de jure fisc.* Atq; hoc, tam in eo pignore,  
quod ex conventionē, quàm quod autoritate magistratus  
distractū fuit, obtinet. *l. 1. C. si adv. vendit. pign. Vid. Maur. c. 205.*  
*n. 2. Mada. ad l. 1. C. si adv. vend. pign. Cujac. 1. Sētēt. Pauli. 9. §. ult. §*  
*in parat. C. si adv. vend. pign. Diss. Don. 21. com. c. 9. Odd. q. 53. 4. 5.*

CCXVI. Septimò interdum & res contra minorem  
judicata restitutionem excludit. Quod duabus in causis acci-  
dit, videl. in re pro libertate judicatā, & sententiā semel ad-  
versus in integrum restitutionem latā. *Donell. 21. comm. c. 12.*  
*§. septimò interdum.*

CCXVII. Adversus sententiā pro Libertate latam re-  
stitutioni locum non esse, cum dicimus, non intelligimus illā  
sententiā, quā pronunciatum servo dandam esse libertatem,  
sed quā is, cui controversiā status movebatur, liber pronun-  
ciatus est. Hujusmodi enim sententiā, ne quidem prærogativā  
minoris ætatis sine appellatione rescindi potest. *l. ult. C. si adv.*  
*libert. ne sc. rescindatur & libertas, adversus quam nulla est*  
*restitutio, ut supra th. 206. dictum. Donell. d. 1.*

CCXVIII. Eodem modo, Restitutione semel per Senten-  
tiam denegatā, frustra ea amplius petitur, nec aliter, quàm per

restitutio-  
nem ad-  
mittit.

Adversus  
sententiā  
pro liber-  
tate latam  
restitutio  
nō datur.

Restitutio  
semel de-  
negatā

G

Appel-

*frustra am-  
plius peti-  
tur.*

*Ipsa Quā-  
titas rei  
interdum  
Restituti-  
onem non  
admittit.*

*Persona  
adversus  
quas resti-  
tutio non  
datur.  
Minor.*

Appellationem sententia illa rescindi potest. *l. 1. C. si sep. in int. rest. postul.* Nisi super diverso capitulo, vel ex novā causā restitutio petatur: sive de novo causa illa emerferit, sive antea extiterit, & vel non allegata, vel allegata quidem, sed non probata fuerit. *l. 2. S. ult. C. d. t.* Sic enim non de eadem re postulari videtur, quoniam diversae agendi causae diversas res constitunt. *l. 1. C. an eadem ff. de Except. rei jud. Vid. Duar. & Muda. ad l. C. si sep. rest. post. Cald. in l. 3. C. de in int. rest. verb. implorandum. n. 35. & seqq. Mauric. c. 131. & seq. C. c. 257. & seqq. Odd. q. 16. per tot. Donell. l. cit. Bachop. ad Tr. vol. 1. Disp. 11. ib. 1. lit. E.*

CCXIX. Octavo huc referri potest illa species hereditatis repudiatae, quae refertur in *l. 24. §. Scavola ff. de min. de qua supra ib. 183. & seq. tractavimus.*

CCXX. Postremo ipsa *Quantitas rei*, propter quam integrum restitutio postulatur, interdum hanc ipsam excludit, puta, cum ob Rem vel summam non ita magnam Restitutio petitur, ita ut majori rei vel summae praedictetur. *l. 4. ff. de in int. rest. v. c.* Si minor laesus in una ex pluribus rebus venditis, pro ea parte dumtaxat, qua laesus est, restitui velit, non conceditur ei restitutio, si adversarius velit à toto contractu discedere, & lesio quam minor allegat, parva sit, habito respectu ad rem vel quantitatem amittendam, si à toto contractu recedatur. *l. cum ejusdem 34. ff. de adil. edict. l. tutor 47. §. 1. ff. de min. Glos. ad l. scio 4. ff. de in int. rest. Fr. à Cald. ad d. l. 3. verb. Laesi n. 79. Donell. 21. comm. c. 11. §. nono. & postremo, & c.*

CCXXI. Personae, adversus quas minori restitutio negatur, tres sunt: Minor, Parentes, & Patronus, patronave. *Donell. d. l.*

CCXXII. *Adversus minorem* restitutio minori non conceditur, si & is aequè laesus sit, veluti si minor pecuniam sibi ab alio minore creditam perdiderit. Melior enim est causa ejus qui accepit, & vel dilapidavit, vel perdidit. *l. verum 11. §. pen. ff. de min. l. 34. eod. l. in pari. 128. & l. favombiliores. 125. de R. I. Donell. d. l. §. Est ut dixi.*

CCXXIII. Quod si verò non uterq; damnum passus sit, sed hic de lucro captando, ille de damno vitando certet, tunc resti-

restitutio contra illum, qui nullum omnino damnum passus est, non denegabitur, *d. l. ii. §. pen. ff. de min.* Nam minor, quæ minor, nisi etiam læsus sit, non habet hoc privilegiū. *Odd. q. 18. §. 4. & seqq. Cald. ad l. 3. C. de in int. rest. verb. Læsis n. 169. Mauric. c. 218.*

CCXXIV. *Adversus Parentes*, itemq; *Patronum*, *patronumve*, in iis rebus, quas cum liberis, vel libertis gesserunt, restitutionem nullo modo dari debere, rejectis veterum distinctionibus sancivit Justinianus in *l. ult. C. qui & adv. quos.* Idq; propter reverentiam, quæ his personis à liberis vel libertis debetur. *Cald. in d. l. 3. verb. Læsis n. 155. Mauric. c. 224. Odd. q. 18. art. 1. & 2. Muda. ad d. l. 2. C. qui & adv. quos.*

CCXXV. Quod in tantum verum putamus, ut nec per eam restitutionem, quæ sit jure actionis, in actione Doli, & quod metus causâ, verbis in factum temperatis, filio vel liberto, contra patrem patronumve succurrendum esse arbitremur: quia cum hac in re consideranda sit reverentia parentibus debita, magis ea læditur instituta actione in factum, *juxta l. ii. ff. de dol. mal.* quam implorato officio judicis. Licet enim verbis edicti non habeantur infames condemnati ex Actione illâ in factum, re tamen ipsâ, & opinione hominum non effugiunt infamiae notam *arg. l. 2. ff. de obseq. parent. & patr. prest. Muda. ad l. ult. C. qui & adv. quos. Bachov. ad Tr. vol. 1. Disp. ii. th. 13. lit. B.*

CCXXVI. Accedit, quod in *d. l. ult. C. qui & advers. quos.* expressè improbetur distinctio an minor ex simplicitate suâ se deceptum, an dolo patris vel patroni circumscriptum esse dicat. Unde *d. l. ii. ff. de dol. & l. 5. C. eod. per d. l. ult.* derogatum esse, defendemus, cum *Duar. ad d. l. ult. C. qui & adv. quos. Baccov. l. cit.* contra *Dd.* qui communiter statuunt, quod Justin. in *d. l. ultim.* tantum agat de restitutione, quæ beneficio ætatis datur. *Vid. Mauric. cap. 224. Odd. q. 18. art. 1. Cald. in l. 3. C. de in integr. restitution. verb. Læsis num. 155.*

CCXXVII. Aliud est in restitutione, quæ ex capite de Majoribus, ex causâ absentiae, vel alterius justî impediementi conceditur. Hanc enim filio vel liberto contra patrem

*Parentes  
& Patroni*

*An actio  
in factum  
ex causâ  
metus vel  
doli ad-  
versus pa-  
rentes de-  
tur.*

*Quib. ca-  
sib. adver-  
sus paren-  
tem*

res vel pa-  
tronos re-  
stitutio  
decur.

trem aut patronum non esse denegandam, communis Dd. sententia est, quam referunt & sequuntur *Odd. d. q. 18. art. 3. Cald. in d. l. 3. verb. Læsis. n. 156. Muda. in d. l. ult. C. qui & advers. quos.* siquidem his casibus uterque suo jure uti & niti potest, absque nota sinistrae suspicionis, *Muda. d. l. Diss. Mauric. c. 224. in fin.*

CCXXVIII. Quod autem diximus, filio aut liberto contra patrem vel patronum restitutionem non esse dandam, id ita accipi debet, si directò contra illos, & contra id, quod cum minoribus gesserunt, restitutio postuletur. Quòd si enim non directò adversùs patrem vel patronum, (quamvis fortè adversus factum eorum) restitui se petat minor, restitutio non inhibebitur: cujus exempla sunt in *l. 2. C. si advers. donat. & l. 2. C. si advers. rem jud. ad quam vid. Muda. Donell. 21. comm. c. 12. §. de parentibus. quamvis hic d. l. 2. C. si advers. rem jud. per l. ult. C. qui & advers. quos. abrogatam esse putet, quod etiam placet *Duar. ad d. l. ult. Aliter Mauric. c. 224. n. 8. & seqq. Cald. ad l. 3. C. de restit. min. verb. Læsis. n. 157.**

CCXXIX. Idemq; dicendum, si filius postulet in integrum restitui adversus patrem quidem, sed de eo, quod pater seorsim à filio gessit, & in quo filium nec læsit ab initio, nec lædere potuit, ut in *l. ult. §. 1. C. de bon. qua lib.* quoniam his casibus reverentia parentibus debita non læditur. *Vid. Muda. ad l. ult. C. qui & adv. quos. Odd. q. 16. art. 1. n. 12. Mauric. d. l.*

Facta mi-  
noris, qua  
restitutio-  
nem im-  
pediunt.

Si minor  
venia atq;  
is impe-  
traverit.

CCXXX. Factum Minoris, propter quod ei restitutio denegatur, triplex est: Quoddam enim rem gestam præcedit: Quoddam sequitur, & sæpè multò post: Quoddam intervenit in re gerendâ, aut certè in continenti adhibetur. *Donell. l. cit. §. ut cetera.*

CCXXXI. Quod rem gestam præcedens factum restitutionem excludit, est *Impetratio venia atatis l. 1. §. 1. C. de his qui ven. atar.* Ex hac enim (si juxta formam, quæ in *l. 2. C. d. t.* præscribitur, facta sit) minor quoad administrationem rerum suarum (exceptâ alienatione rerum immo.

immobilium: l. 2. § 3. C. d. t.) pro majore habetur, ut res ab eo gesta per restitutionem rescindi non possint: ne hi, qui cum eis contrahunt, principali auctoritate circumscripti esse videantur. *Donell. 21. comm. cap. 12. Duar. ad tit. C. de his qui ven. etat.*

CCXXXII. Quod si tamen majorem hujus impetrationis poeniteat, adversus ipsam veniæ ætatis impetrationem, ex magnâ & gravi causâ restitui potest. *arg. l. fin. C. si min. se maj. § l. si judex 42. ff. de min. Fr. à Caldas in l. 3. C. de in int. res. min. verb. Less. n. 86. § seq. Duar. d. l.* Quod ita procedit, ut in futurum ætatis veniâ, ita restitutus non utatur: non autem ut contractus intermedio tempore celebrati, rescindantur, ut malè sentit *Cald. d. l.* Sic enim contrahens cum hoc minore, principis auctoritate indignè deciperetur l. 1. C. h. t. *Vid. Mauric. c. 226. n. 4.*

CCXXXIII. Factum, quod rem gestam sequens, restitutionem excludit, est *Ratibitio majoris facti*, si videlicet quis id, quod in minori ætate gessit, major factus comprobaverit, seu ratum habuerit. l. 3. §. 1. ff. de min. t. t. C. si maj. fact. rat. hab. Nihil enim refert, utrum quis quid gerat, an gestum suâ voluntate confirmet: Proindeque quod major factus comprobavit, sic habendum est, tanquam à majore gestum fuerit, sive verbis, sive re aliquâ & facto, quod ejusdem voluntatis indicium habet, (ut in specie l. 30. ff. de min.) comprobatio illa facta facta fuerit: Nisi fortè id ipsum, magis ex officio & necessitate, quàm ex voluntate sua, major factus gesserit, ut in l. 3. §. scio 2. ff. de min. *Donell. 21. comm. cap. 12. §. secundum illud. Duar. ad t. C. si maj. fact. rat. hab.*

CCXXXIV. Denique quod in re cum minori gerenda interveniens, aut in continenti post rem gestam adhibitum factum, Restitutionem impedit, est *Interpositio Juramenti*, cum videlicet minor pubes juramento corporali sponte & consultò præstito confirmat, se adversus ea, quæ gesta sunt, nihil esse facturum. Placuit enim Impp. adversus hoc jusjurandum restitutionem dari non debere. l. 1.

*Si major factus ratum habuerit.*

*Si minor in re gerenda juramentum interposuerit.*

G. 3.

§ autb.



*Et auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vendit. Donell. d. l. §. ult.*

*Auth. Sacramenta C. Si adv. vendit. de solis contractibus validis intelligenda.*

CCXXXV. Ita tamen restitutio hic denegatur, si juramentum contractibus legitimis, & jure Civili validis, qui contractus verè dicuntur, interpositum fuerit. Illegitimi enim, cum inutiles sint, & pro nullis & infectis habeantur, frustra de iis non retractandis agitur, cum contractus non sint, & non nisi abusive & valde improprie tales appellari possint. *l. 5. C. de legib.*

CCXXXVI. Deinde cum invalido principali, ea quoque quæ illud subsequuntur, inutilia ut sint, placuerit Impp. *in d. l. non dubium 5. C. de legib.* frustra quis dixerit, sacramentum tali contractui invalido adjectum, eum confirmare; cum ipsum accessorium nullum sit, & pro infecto habeatur. *Vid. Sichard. ad l. 1. C. si adv. vendit. n. 5.*

CCXXXVII. Dictam proinde authent. de solis contractibus legitimis, cum *Donell. 21. comm. c. 13. §. ait, super, & c.* intelligimus: quamvis non ignoremus, Dd. communiter eam & ad illos contractus, qui jure speciali & singulari prohibiti sunt, extendere; veluti, si minor sine decreto rem immobilem alienaverit. *Vid. Bart. ad d. auth. n. 14. Gomes. 2. variar. resol. 14 n. 18. & seqq. Mude. ad d. auth. Duar. ad tit. C. si adv. vendit.* An autem minor de jure Canon. & in foro conscientie obligetur, ad servandum juramentum his contractibus adjectum, cum proprie ad materiam juramentorum pertineat, hic prætermittimus.

*De Juramentis que dolo, vel per metum extorquentur.*

CCXXXVIII. Diximus, minores contra juramenta sponte & consulto facta, super contractibus non retractandis, non restitui: ut excluderemus illa juramenta, quæ per vim, aut justum metum extorta sunt. Ad illa enim servanda ne majores quidem tenentur. *d. auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vendit.* quod & in illis, ad quæ præstanda quis dolo, aut justo errore inductus est locum habere putamus, *Donell 21. comm. c. 13. §. sed ut hoc genus.*

CCXXXIX. Ubi inter Dd. controvertitur, An ejusmodi juramenta ipso jure nullo sint, nec ne: & an hoc casu

casu de jure Canon. absolutio sit necessaria. *Vid. Covarruv.*  
*in c. quamvis 2. de pact. part. 1. §. 5. n. 6. & part. 3. §. 4. n. 2. &*  
*seqq. Mauric. c. 119 n. 9. & seqq. Donell. 21. comm. c. 13. Duar. ad*  
*tit. C. si adv. vendit. Gail. 2. obs. 42. n. 6.*

CCXL. Nos distinguendum putamus, An juratum sit super actu jure licito, an illicito. Priori casu, metus vel dolus nec actum, nec juramentum efficit ipso jure nullum, sed beneficio restitutionis juramentum hoc rescinditur & annullatur: (quomodo verba nullius momenti *in auth. Sacramenta puberum. C. si adv. vendit. interpretatur*) & restitui volens de jure Canon. absolutionem petere debet. *c. verum 15 de jurejur.*

CCXLI. Posteriori casu subdistinguendum est, quod Actus aut illicitus est jure tantum Civili, quo quidem casu, ut ipse actus, sic & juramentum jure Civili nullum est: verum cum istiusmodi actus secundum jus Canon. juramento confirmari possint, nec sint contra bonos mores Canonum, absolutione opus esse arbitramur. Aut jure simul Gentium & Naturæ illicitus est actus, vergitque in dispendium salutis; & juramentum omni jure nullum, nec ullâ absolutione opus esse putamus. *c. si vero 8. de jurejur. Bachov. ad Tr. vol. 1. Dissut. II. th. 4. lit. A. & Diss. 21. th. 2. lit. C.*

CCXLII. Ob id autem minori Restitutio non denegatur, quod is homo frugi, industrius, maturi judicij, jurisperitus, consiliarius, magistratum, aliosve honores gerens, aut plurium liberorum parens esse proponatur *l. 1. C. qui & adv. quos. l. 2. C. de in int. rest. min.* Etsi namque verisimile sit, hos non facile capi, ubi tamen captos esse constat, in re certa conjecturis non est locus. *l. continuus 137. §. cum ita 2. in fin. ff. de V. O.* Nec unquam tanta minoris prudentia, quin resideat aliquid inscitia, propter inexperience rerum. *Donell. 21. comm. c. II. §. & in priore.*

CCXLIII. Sed quod diximus, minori Jurisperito, & qui se Jctum profitetur, restitutionem non denegari, id verum est, quoad negotia contrahenda, & illa quæ extra

*Da minori  
Jurisperi-  
to Restitu-  
tio datur.*

judicium gesta sunt, aut si facti ignorantia lapsus sit. Secus in judicialibus, & iis, quæ ad Jurisperitiam spectant: quia hic desiderium ejus cum professione pugnat. *arg. l. professio 6. C. de muner. patrim. & turpe est causam oranti, jus ignorare. l. 2. §. Servius 43. de O. I. quemadmodum & eodem modo peritia alterius artis, quam minor profitetur, restitutionem circa negotia illius artis & professionis impedit. Vid. Odd. q. 23. artic. 5. 6. & 7. Muda. ad l. 1. C. qui & adv. quos. Mauric. c. 223. Hillig. ad Donell. l. cit. lit. B.*

*Tutoris  
vel curato-  
ris autho-  
ritatē re-  
stitutionē  
nō exclu-  
dere.*

CCXLIV. Tutoris etiam vel curatoris, ut & patris autoritas in eis, quæ vel in judicio, vel extra judicium, gesta sunt, interveniens, regulariter restitutionem non impedit, si minor fuerit læsus. *l. 2. & ult. C. si tut. vel cur. interv. l. tutor 29 pr. ff. de min. arg. l. ult. §. 1. ff. de V. O.* Cum enim minoribus captis hoc edicto succurratur, merito etiam eo casu restitutio illis concedenda est, quo adversus captivum, tutoris aut curatoris autoritas nihil profuit. Idque verum est, licet personali actione à tutore vel curatore jus suum consequi possint. *l. 3. C. d. t. Donell. 21. comm. c. u. §. sequitur aliorum.*

*An adver-  
sus fiscum  
restitutio  
datur.*

CCXLV. Fiscus quoque, quamvis aliàs valde privilegiatus sit, restitutionem adversus se non excludit, si minor in re cum fisco gesta, captus sit. *l. 1. C. si adv. fisc.* nisi res minoris distractæ sint à procuratore fisci ob publicas pensationes non solutas, & distractæ sint sollemniter publicâ actione, idque minore in solutione cessante, tum enim nisi res nimis exiguo pretio venditæ sint, restitutio minori non datur. *l. ult. C. d. t. l. 1. & 2. C. si propr. publ. pens. Donell. l. cit.*

*An fide-  
jussoribus  
minoris  
restitutio  
profit.*

CCXLVI. Ultimò circa Restitutionem minorum in causâ cognitionem venit, utrum illis solis, an verò etiam his, qui pro illis obligati sunt, veluti fidejussoribus succurri debeat. *l. in cause 13. in pr. ff. de min.*

CCXLVII. Ubi tenendum, quod regulariter fidejussori minoris non succurratur *l. 1. & 2. C. de fidejuss. min.* Scilicet, cum contemplatione juris Prætorij, & ob metum restitu-

restitutionis, fidejussor acceptus fuit. *l. 13. in pr. ff. de min. l. Stichum 95. §. quod vulgò 3. ff. de solut.* Equius enim videtur, ut in damno moretur fidejussor, quem ut sibi rectius consultum esset, creditor accepisse præsumitur, quàm ut creditor, cui nihil imputari potest, damnum sentiat. *Mude. ad l. 1. §. 2. C. d. t. Mauric. c. 14. Odd. q. 48. art. 1. Donell. 21. comm. c. ult. §. quo posito, & seqq. Bacchov. ad Tr. vol. 1. Disp. n. 1b. 2. lit. D.*

CCXLVIII. Unde diversum statuendum videtur eo casu, quo fidejussor, sciens principalem suum esse minorem, non aliter obligari voluit, nisi in casum, quo minor non esset solvendo, non autem in casum restitutionis futuræ. Tunc enim restituto minore, qui adhuc solvendo est, restitutionem ejus ipsi quoq; fidejussori prodesse, *post Fulgos. statuit Odd. d. q. 48. art. 1. n. 20.*

CCXLIX. Idem observatur & in illis casibus, quibus minor necessariò & ex legum præscripto, ratione videlicet negotij, quod gerit, atq; subjectæ materiæ, satisfacat: non, quòd vel sic fidem ejus secuti sint alij, sed quod in eum inciderint, & satisfactione à minori præstità, vel inviti cum eo negotium gerere debuerint. v. c. Si minor vel ex testamento, vel ab intestato, tanquam legitimus heres, defuncti aliqujus hereditatem adierit, & creditoribus de debitis hereditariis solvendis satisfaciderit. Hoc enim casu tamdiu durat vinculum satisfactionis, quamdiu causà ejus; itaq; si minor retractari curet illud, cujus solius gratià satisfacere debuit, etiam satisfactionis effectus evanescit. *l. si pupillus 89. ff. de Acq. hered. l. 2. §. amplius ff. de adm. tut.* Aliud exemplum peti potest *ex l. minor 51. in pr. ff. de procur. Vid. Mude. ad l. 2. C. de fidejuss. min. Donell. 21. comm. c. ult. §. postremò, ut desint.*

CCL. Excipiuntur tamen à supradicta regula aliquot casus, in quibus fidejussori restitutio minoris prodest, etiam si is ob metum restitutionis acceptus fuerit. Nam imprimis si fidejussor efficacem regressum contra minorem habeat, ut minor contra illum restitui nequeat, necesse est beneficium ejus fidejussori quoq; communicari: quia aliàs mi-

H nori

non per restitutionem non plene consuleretur. Exemplum  
vid. ap. Odd. d. q. 48 art. 4. Fr. à Cald. in l. 3. C. de in int. rest.  
verb. minoribus n. 46.

CCLI. Eo quoque casu, quo minor ob dolum adversarij  
in integrum restitutus est, fidejussor ejus adjuvatur hoc bene-  
ficio l. 2. C. de fidejuss. min. Equitas enim, quæ facit ut in alijs  
casibus restitutio minoris fidejussori non profit, non debet  
exerceri cum eo, qui dolum adhibuit; ne ex suo dolo lucretur.  
Odd. q. 48. a. 2. Muda. ad d. l. 2. Mauric. c. 14. Donell. 21. com.  
c. ult. §. quo posito.

CCLII. Quod si verò fidejussor minori, intra tempo-  
ra restitutionis defuncto, ex asse heres factus sit, fidejussoria  
obligatio aditione hereditatis extinguitur, & tantum princi-  
palis obligatio in personam heredis fidejussoris durat, l. generali-  
ter 5. ff. de fidejuss. sed adversus hanc fidejussor, qui adolescen-  
ti heres extitit, restitutionem impetrare potest. l. Stichum 95.  
§. quod vulgo 3. in fin. ff. de solut. Nisi contemplatione juris  
Prætorij, & ob metum restitutionis intervenerit: quia tum  
fidejussoris obligatio plenior est, quam principalis. arg. l. ge-  
neraliter 5. vers. deniq. & l. debitori 50. ff. de fidejuss. Vid. Muda.  
ad d. l. 2. C. de fidejuss. min. Odd. q. 48. art. 3.

Beneficiū  
Restituti-  
onis trans-  
ire in he-  
redes.

CLIII. Transiit Restitutionis beneficium in heredes, ita  
ut non solum minoris, verum eorum quoque qui Reipub. causam  
abfuerunt, item omnium, qui ipsi potuerunt restitui in inte-  
grum, successores, ex personam defuncti in integrum restitui pos-  
sint. Sive igitur heres sit, sive is cui hereditas restituta est, in  
integrum restitui poterit. l. non solum. 6. ff. de in int. rest. l. 18. Si  
fin. l. 24. §. 1. l. 44. ff. de min. Vid. Odd. q. 50. art. 1. & seqq.

CCLIV. Neque enim jure privilegij personalis censetur  
Restitutionis beneficium, sed magis pro remedio juris com-  
munis habetur: cum non certæ personæ, neque tam ob habili-  
tatem ejus, quam ob conservationem patrimonij, justitiæ &  
æquitate dictantibus, cõcedatur: Unde non nisi cum univer-  
sitate bonorum, in quibus læsio facta est in alium transire po-  
test. Vid. Od. q. 50. a. 1. n. 8 9. 10. & n. Mud. ad rubr. C. de fidej. min.

Adversus  
quos peti

CCLV. Implorant autem minores Restitutionem regu-  
lariter

pariter adversus illum, cum quo quid contraxerunt, vel gesserunt, aut ad quem ex facto aliquo minoris emolumentū pervenit. *Donell. 21. comm. c. ult. §. 19. hi sunt.* Interdum tamen restitutio & in rem datur minori h. e. Effectus restitutionis adversus tertium, rei videl. possessorem, porrigitur, licet cum eo nihil contractum sit: idq; vel cognitione Pratoriā, vel rescissā alienatione, dato in rem iudicio *l. in causa 13. §. interdum 1. ff. de min. l. minor 39. pr. ff. de evict.* Quod tribus potissimum casibus contingere *ex d. l. 13. §. 1. notant. Dd.*

CCLVI. Primus est, quando interest minoris, potius rem habere, quàm residuum pretij. Alter, quando secundus emtor & possessor rei scivisset ab initio, rem illam venditam fuisse à minore. Tertius, quando primus emtor non est solvendo. *Vid. Odd. q. 31. art. 17. Cald. in l. 3. C. de Restit. min. verb. Implorare in integrum. n. 15.*

CCLVII. Adversus heredes ejus, contra quem restitutio competere cœpit, restitutio quoq; peti potest; cum hi defuncti personā representent. *l. cum miles 30. ff. ex quib. ca. maj. l. 6. §. 7. C. de in int. rest. Gloss. & Bart. ibid.* Idq; tam in restitutione majorum, quàm minorum procedit. *Odd. q. 31. art. 15.*

CCLVIII. Effectus petitiæ, nondum tamen obtentæ restitutionis est, quod eā postulatā nihil innovari debeat. *l. un. C. in int. rest. post. ne quid nov. Odd. q. 42. per tot.* Quibus consequens est, quod restitutione adversus sententiam petitiā, executio sententiæ impediat: de quo latè *Odd. q. 43. art. 1. idq; obtinet, eiam si à supremo principe sententia lata fuerit: petitiō enim restitutionis non sententiam, tanquam iniquam, arguit, sed errorem & lapsum præten dit. Odd. q. 43. a. 2.*

CCLIX. Quod si tamen ex parte petentis restitutionem, manifestò de calumnia constet, aut saltem suspicio calumniæ adsit, quod sc. malitiosè, causā differendi executionem, id faciat, æquius est, ut executio sententiæ non suspendatur. *Menoch. lib. 1. præsumt. q. 74. Odd. q. 43. art. 5. qui prolixè & distinctè hoc tractat.*

CCLX. Restitutionis jam obtentæ hic effectus est, quod omnia in pristinum statum reducat, ut tam minori, quàm ad

rio Restitutio in-situatur.

An adversus heredes Restitutio detur.

Effectus petitiæ restitutionis

Effectus Restitutiois obtentæ.

versario ejus omnia integra sint, quasi nihil gestum esset. *l. 24. §. pen. ff. de min.* Unusquisq; igitur jus suum integrum recipit, futurusq; & impense in rem factæ restituuntur. *Odd. q. 45. a. 2. n. 24. & 25* unâ cum fructibus & usuris, (quæ ratione fructuû & interesse honesti lucri cessantis, vel damni emergentis debentur) & omni causâ, tam minori, quàm ei, qui cum hoc contraxit, reddendâ. *d. l. quod si minor. 24. §. penult. l. patri 27. §. 1. vers. prædium. ff. de min. l. ait. Prætor. 7. §. hodie 6. cod. Wesenb. parat. ibid. n. 9. Odd. q. 45. per tot.*

CCLXI. Et regulariter tantundem hoc beneficio restituitur, quantum læsio abstulit, non plus vel minus. *l. ult. ff. de min. Odd. q. 44. a. 2. Donell. 21. comm. c. ult. §. superest.*

CCLXII. Ex quibus inferitur, quod quando petitur restitutio temporis lapsi, illius tantum temporis restitutio fieri debeat, quod durante impedimento lapsum est, non totius fatalis. *d. l. ult. ff. de min. l. sed & si 26. §. si feria 7. & seq. ex quib. ca. maj. l. 28. §. si quis 3. cod.* Restitutio enim efficere debet, ut læsio non obsit, non quod proficit. *l. 1. & l. videlicet 29. ff. ex quib. ca. maj. Odd. d. l. Donell. d. l.*

An Litis  
confortibus  
Restitutio  
minoris  
profit.

CCLXIII. Obtena autem à minore Restitutio, etiam litis confortibus prodest. Ubi tamen distinguendum videtur, An confortes hi sint majores, an minores, itemq; an res communis, de qua litigatur, sit dividua, an individua.

CCLXIV. Litis confortibus majoribus, tum demum restitutio minoris prodest, cum res de qua litigatur, est individua, ita ut restitutio non prodesset minori, nisi etiam majori conforti prodesset. (cujus exemplum Dd. ponunt in Servitutibus, quæ excepto usufructu, regulariter individua sunt) Hæc enim individuitas facit, ut restitutioni, non nisi in solidum locus esse possit, cum aliàs minori non plenè consuleretur. *Odd. q. 46. art. 4. & 5.*

CCLXV. Si v. litis confortes utrinq; minores sint, verius est, quod restitutio minoris confortibus ipsius proficit, sive res sit dividua, sive individua, dummodo tamen eandem causam, ex qua læsi sint, per omnia præsupponamus. *arg. l. 1. & 2. C. si un. ex plur. appell. c. penult. de appell. l. un. C. si in comm. ead. caus. arg. à contrario sensu ducto. Odd. q. 43. a. 2.* 266, Nec

CCLXVI. Nec movet nos ratio, quam Baldus pro contraria opinione adducit teste Odd. d. l. sc. quod restitutio pro altero, absq; speciali ipsius mandato, peti non possit. *l. illud 25. §. 1. & l. seq. ff. de min.* Etenim hic non petitur pro alio restitutio, sed restitutio alterius per cōsequentiam, & ope exceptionis alteri prodest. *Od. d. l. Dis. Bach. ad Tr. vol. 1. diff. 11. tb. 2. lit. D.*

CCLXVII. Tempus, intra quod restitutio peti debet, olim Annus utilis erat, qui à Justin. in *l. fin. C. de temp. in int. rest.* in Quadriennium continuum mutatus est, quod minoribus quidem ab exacto 25. anno, majoribus autem ex die sublato impedimenti, absentiae, captivitatis, vinculorum, &c. currit; non à die scientiae, ut vulgò Dd. statunt. *Vid. Odd. q. 20. art. 4. Gail. 2. obs. 48. Cald. in l. 3. C. de rest. min. verb. Infra legitimum tempus. n. 3.* quorū sententia & rationi juris Civilis adversatur, & jus usucapionū, praescriptionūq; evertit. *Bach. d. diff. 11. tb. 3. lit. B. in pr.*

CCLXVIII. Quadriennium autem hoc toti & universae restitutionis quaestioni praestitutum est, ut notant *Mud. in l. ult. C. de temp. in int. rest. Menoch. lib. 1. praesumpt. q. 71. n. 1.* Nam quod Dd. quadriennium hoc ad iudicium Rescindens referunt, Rescissorio autem iudicio instituendo, hodieq; annū utilem praefinitum existimant: *Vid. Bart. & Dd. in l. in honoribus 35. ff. de O. & A. id falsum esse patet tum ex illis, quae supra tb. 117. & seqq. de iudicio Rescindenti & Rescissorio à nobis dicta sunt; tum ex eo, quod Justin. in l. ult. C. de temp. in int. rest. aperte, se annū utilem à Repub. separare, profitetur. Barb. d. diff. 11. tb. 3. lit. A.*

CCLXIX. Non tantum itaq; postulatio restitutionis intra dictum quadriennium instituenda, sed & tota Restitutionis tractatio intra idem tempus ad finem perducenda. *l. ult. & pen. C. de temp. in int. rest. l. 2. C. Theod. de in int. rest.* quae saepius intra id tempus causam statuit esse decidendam. *Vid. Odd. q. 19. s. 4. n. 38. & art. 12. Dis. Dd. qui vulgatae opinioni inhaerentes, Rescindens quidem iudicium intra quadriennium finiendum, actionem autem Rescissoriam litis contestatione perpetuari existimant. teste Mud. in l. ult. C. de temp. in int. rest. Odd. q. 21. s. 5.* quae distinctio d. 11. aperte refragatur, & ex illis etiam, quae supra tb. 117. & seqq. de iudicio Rescindenti & Rescissorio à nobis dicta sunt, falsa apparet.

De tempore  
intra quod  
restitutio  
peti debet.

De tempore  
Instantiae.



*Quadrivē  
nū Resti-  
tutiōi pe-  
tende præ-  
finitū, non  
pertinere  
ad actionē  
doli vel  
metus.*

*De' Modo  
institutiōdi  
restitutiō-  
nis petiti-  
onem, &  
aliis quæ  
ad ordinē  
Restituti-  
ōis judicij  
pertinent.*

*An per  
Procura-  
torem re-  
stitutiō  
peti possit.*

CCLXX. Illud dubio caret, quadriennium hoc non pertinere ad actionem doli, vel metus: cum Justin. *in d. l. ult.* tantum faciat mentionem restitutionis minorum, & majorum, adjectā nominatim mentione absentiae, aut alterius justri impedimenti; ne quis ad aliud restitutionis genus illud trahere possit. *Bach. d. l.*

CCLXXI. Hodie verò, im Camera Imperiali, & aliis inferioribus judiciis, quemadmodum nec triennium, aliis litibus finiendis à Justiniano præfixum, *l. properandum 13. C. de judic.* observatur, sic & quadriennium hoc, quoad finiendam restitutionis tractationem, non attendi, notat *Mynsing. i. obs. 57.* ubi sæpius se vidisse scribit, restitutionis agitatae litem, et jam longo post quadriennium intervallo decisam fuisse.

CCLXXII. Vidimus hactenus, qui de Restitutione integrum cognoscant, quibus beneficium hoc competat, quæ causæ ad illud consequendum sufficientes sint, quæq; tempora in petenda Restitutione observari debeant: Restare jam videtur, ut de Modo instituendi Restitutionis petitionem, & aliis, quæ ad ordinem hujus judicij pertinent, paucis agamus.

CCLXXIII. Observantur autem in Restitutionis judicio ferè eadem, quæ in cæteris judiciis, quibus jus nostrum persequimur, servantur: quod ei, qui constitutionem & ordinem horum judiciorum inter se conferre velit, facillè patebit. *Vid. Donell. 21. comm. c. ult. §. communia sunt.*

CCLXXIV. Nam ut in aliis judiciis, his institui non potest, nisi apud judices competentes & idoneos, ita & hîc idem obrinet: & ut in illis regulariter actor forum rei sequitur, sic & regulariter in foro Rei restitutionis causa agitata est. *l. 2. §. 3. C. ubi & ap. quem cogn. in int. Vid. Mauric. c. 36. Odd. q. 32. art. 13. Wesenb. parat. ad d. t. C. Bachov. ad Fr. vol. 1. Diss. 11. tb. 1. lit. D. Donell l. cit.*

CCLXXV. Per Procuratorem etiam hîc, ut in aliis judiciis, utraq; pars litigare potest. *l. un. C. et. per. proc. ca. in int.* dummodo is, qui restitutionem minoris nomine postulat, speciale habeat mandatum, aut si de eo dubitetur, satisfidet de rato. Generale autem allegans mandatum, non auditur. *l. 25. §. 1. & l. 26. ff. de min. Vid. Od. q. 31. a. 11. & 12. Don. d. l. 276.*

CCLXXVI. Sed hæc ita, si restitutio principaliter petatur. Nam si procurator ad certam litem datus fuerit, & in eam quæstio de restitutione incidat, atq; ita incidenter restitutio petatur, speciale mandatum non requiritur: quia cum extra talem petitionem, causam principalem, ad quam datus est, exsequi nequeat procurator, hoc ipsum quoq; simul, quod mandans verosimiliter facturus fuisset, mandatum videtur. *arg. l. ad rem 56. ff. de procur. Bachov. d. Diss. II. tb. 2. liter. C. Duar. ad tit. C. et. per proc. caus. in int. Vid. Odd. d. q. 31. art. 12. ubi plures limitationes accumulatur.*

CCLXXVII. Partibus quoq; præsentibus, aut adversus legitimam vocationem, denunciationemve contumaciter absentibus, iudicium hoc peragendum est; alioquin iudicium & sententia in eo lata, ipso jure nulla erit. *S. ult. Inst. de pen. tem. litig. l. ea qua. 7. C. quom. & quand. jud. l. in causa 13. in fin. pr. ff. de min. c. cum ex literis, in fin. de Rest. in integ.*

CCLXXVIII. Causa etiam, propter quam restitutio petitur, plene probanda est, *l. 3. ff. de in int. rest. l. ult. C. si min. se maj.* (de qua probatione *vid. Odd. q. 36. per tot. Myns. l. obs. 49.*) Nisi incidenter restitutio petatur, aut ex ipsa rei natura læsio appareat. Tum enim summaria læsionis cognitio sufficit: ut tradit *Odd. q. 34. a. 6. & Myns. 4. obs. 21. & 17.*

CCLXXIX. Deniq; Sententia hæc æquæ, ut in aliis iudiciis, libello, quo restitutio petitur, conformis esse debet; de quo *Odd. q. 40. art. 2. & iudex causâ cognitâ, si res videbitur non admittere in integrum restitutionem, adversus actorem sententiam feret, & reum absolvet: sin contra, sententiâ pro actore dictâ, reum condemnabit. Donell. 21. comm. c. ult. S. communia.*

Atq; hæc, ne instituti nostri terminos prætergrediamur, finem huic Dissertationi imponimus; DEO ter Opt. Maximo, quod nobis divinâ benignitate hucusque adistere voluerit, gratias immortales agentes,

COROL.

## COROLLARIA.

I. *Restitutio in integrum non est mixti Imperij, sed Jurisdictionis.*

II. *Per Causam, quæ contractibus innominatis subesse dicitur in l. jurisgentium 7. §. sed & si 2. ff. de pact. nihil aliud intelligitur, quàm implementum ab alterutrâ parte, sive, datio aut factum, ex quo vestiatur pactio.*

III. *Pœna infligi debent secundum proportionem Arithmeticam, non Geometricam.*

IV. *Pœna furti capitalis, ab Imp. Friderico, c. i. de pace tenenda. §. si quis 8. 2. Feud 27. introducta, & Constitutione Criminali Caroli V. art. 158. & seqq. approbata, nimis videtur dura esse & rigida, nec aliis Principibus facile imitanda.*

V. *Interim us in locis, ubi Constitutiones Carolina, summa majestatis autoritate confirmata, vigent, judicem juxta eas Constitutiones furem ad pœnam strangulationis damnantem, aut factum ita de jure Respondentem, etiam in foro conscientie tutum esse, arbitramur.*

VI. *Judex secundum acta & probata, non scientiam privatam judicare debet.*

SOLI DEO GLORIA.







CCLXXVI. Sed hæc ita, si restituitur. Nam si procurator ad certam litem quaestio de restitutione incidat, auctore petatur, speciale mandatum non intra talem petitionem, causam principalis, exsequi nequeat procurator, hoc imperat mandans verosimiliter facturum fuisse. *arg. l. ad rem 56. ff. de procur. Bachov. Duar. ad tit. C. et. per proc. caus. in int. ubi plures limitationes accumulatur.*

CCLXXVII. Partibus quoque; pro legitimam vocationem, denunciatio absentibus, iudicium hoc peragendum & sententia in eo lata, ipso iure non pen. tem. litig. l. ea qua. 7. C. quom. & in fin. pr. ff. de min. c. cum ex literis, in

CCLXXVIII. Causa etiam, petitur, plenè probanda est, l. 3. ff. de se maj. (de qua probatione vid. Odd. q. Nisi incidenter restitutio petatur, appareat. Tum enim summaria læsio tradit Odd. q. 34. a. 6. & Mysf. 4. obs. 2.)

CCLXXIX. Denique; Sententia eius, libello, quo restitutio petitur, eo quo Odd. q. 40. art. 2. & iudex causam non admittere in integrum restitutionem sententiam feret, & reum absolvet: si auctore dicta, reum condemnabit. *D. communis.*

Atque; hinc, ne instituti nostri terminem huic Dissertationi imponimus proximo, quod nobis divinam benedixisse voluerit, gratias tales agentes.

ter petatur  
it, & in  
er resti-  
quia cum  
m datus  
ul, quod  
iderur.  
liter. C.  
art. 12.

adversus  
naciter  
n judici-  
Inst. de  
causa 13.  
neg.  
restitutio  
C. si min.  
(l. obs 49.)  
tura læsio  
fficis: ut

aliis judi-  
lebet; de  
videbitur  
s actorem  
entia pro  
c. ult. S.

rediamur,  
Opt. Ma-  
sque

COROL.

